

www.e-rara.ch

**Summulæ Thomisticæ Juxta Doctrinam Et Ordinem Collegii Complutensis P.
P. Carmelitarum Discalceat: Stylo Claro Explicatæ, Methodo Scholastica,
Facilioribusque Controversiis Breviter Disputatæ**

Emericus

Vetero-Pragæ, [1722]

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Ro 406

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-67926>

Liber II. De terminis, seu vocibus simplicibus.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Et hic ignis calefacit: (& ità omnibus ignibus enumeratis) ergo omnis ignis calefacit. Inductio erit vitiosa, si omnia omnino singularia non enumerentur; & quia omnia singularia nôsse, & posse enumerare, est quid valde difficile, ideo cautè est utendum inductione.

Exemplum est argumentatio, in qua ex aliquo singulari aliud singulare simile colligitur, & infertur, v. g. DEUS pepercit Ninivitis pœnitentiam agentibus: ergo Et tibi parcat, si pœnitentiam egeris. Porro ut Exemplum rectè fiat, & valeat, debet similitudo, quæ est fundamentum illationis, esse vera causa in antecedente; & ideo non valet consequentia hæc: Mulieres seduxerunt cor Salomonis sapientissimi: ergo etiam te, qui sapiens es, seducent: non, inquam, tenet consequentia, quia ratio seductionis in Salomone non fuit ejus sapientia.

LIBER II.

De Terminis, seu vocibus simplicibus.

EXplicatis modis sciendi, velut generalibus ad comparandam cæterorum notitiam necessariis instrumentis ad alia progrediendum est; in quibus

bus pertractandis juxta Complutenses, methodum compositionis observabo, inchoando à simplicioribus, uti sunt termini, seu voces simplices primam mentis operationem, scilicet apprehensionem dirigentes.

CAPUT I.

De signo.

Termini, seu voces non conducunt ad directionem intellectûs, nec proinde pertinent ad Institutum Dialecticum, quatenus important entitatem suam materiale[m] compositam ex istis, vel istis literis, vel quatenus sunt præcisè quidam soni formati in aëre; sed quatenus significativæ sunt, seu prout sunt signa rerum, quas significant. *Significare* autem nihil est aliud, quàm *potentia cognoscitiva aliud à se distinctum representare*, sic v.g. hæc vox *leo* significare dicitur, quia auditâ hac voce non solùm mihi repræsentatur illa vox, sed etiam ipsemet *leo animal*, sive natura leonina distincta ab illa voce *leo*. Cùm autem omne, quod aliquid repræsentat, aut significat, sit signum illius, ideo ante notitiam terminorum, ut sunt significativi, oportet aliquam signi notitiam prælibare.

Signum aliud est *formale*, aliud *instrumentale*. Signum *formale* est ipsa rei similitudo, seu species quædam rei significatæ in
 potentia

potentia cognoscente consignata, per quam res significata percipitur: hujusmodi signa sunt species expressæ rerum, quæ non sunt aliud, nisi ipsæmet res in esse intentionali, & intelligibili, sive ipsummet objectum ut informans, & quasi figurans potentiam cognoscitivam. In præsentī non agemus de hoc signo utpote spectante ad Libros de anima, sed solūm de signo *instrumentali*; quia termini sunt signa *instrumentalia*, ut patebit.

§. I.

Dilucidatur Essentia, & divisio Signi.

Signum *instrumentale* definitur secundūm D. August. *lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 1. quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire, seu: quod se ipsum, & præter se aliquid aliud potentia cognoscitiva representat, & manifestat.* Quæ definitiones reddunt hunc sensum, quòd ultrà cognitionem ipsiusmet signi, quam ex speciebus habet, potentia cognoscitiva acquirat adhuc aliam causatam ab ipso signo, quæ non est cognitio ipsius signi, sed alicujus alterius rei, sic e. g. *vestigium hominis* dicitur signum *instrumentale*, quia præter speciem, & cognitionem ipsiusmet vestigii, quam immediatè ingerit, & obicit sensibus, manuducit in cognitionem alterius rei, nempe hominis ibi transeuntis, qui nullò modò est ipsummet vestigium. Si-
militer

militer hæc vox *homo* dicitur signum instrumentale hominis, quia audita hæc vox ultrà repræsentationem, & cognitionem sui inducit ad cognoscendam ipsam naturam hominis.

Hinc colliges : apertissimum discrimen inter signum *instrumentale*, & *formale*, quòd videlicet signum *instrumentale* primò repræsentet se ipsum, & secundariò significatum, ità ut ex cognitione signi deveniamus in cognitionem significati: adeoque cuilibet signo *instrumentali* duplex correspondet cognitio, prima est cognitio ipsiusmet signi, secunda est cognitio ipsius significati, sive rei, quam signum ipsum significat. Signum verò *formale* non est necessariò à nobis percipiendum, ut ipsius perceptione in rei significatæ cognitionem veniamus, sed ex se ipso, & sinè alia sui cognitione potentia cognoscitivæ rem significatam repræsentat, ità ut unâ, & eâdem cognitione attingatur tam signum, quàm ipsum significatum.

Signum *instrumentale* dividitur in *naturale*, & *ad placitum*. Signum *naturale* est, quod per se ipsum, ex sua natura, & independenter ab hominum voluntate aliud à se repræsentat ob naturalem connexionem cum illo: unde tale signum est commune ubique, & idem significat apud omnes, *quæ enim naturaliter significant, sunt eadem apud omnes*, inquit D. Thomas *Lect. 2. in lib. 1. Perih.* sic vestigium hominis est signum naturale hominis ibi transeuntis, gemitus est signum naturale

naturale tristitiæ, risus lætitiæ, quia omnia hæc ex natura sua significant aliud ob naturalem connexionem cum illo.

Signum ad *placitum*, quod etiam *voluntarium, arbitrarium, ex instituto*: est illud: quod non ex natura sua, sed ex hominum beneplacito, libera voluntate, & institutione aliud à se repræsentat, & significat, cum quo proinde non habet connexionem ex natura sua, sed ex libero instituto hominum: hęc pactò voces, seu nomina sunt signa rerum, quas significant, sic v. g. hæc vox *homo* non significat ex natura sua animal rationale potius, quàm leonem, sed id habet ex libera hominum impositione, ex se enim talis vox est apta ad significandum non minùs naturam hominis, quàm leonem, equum &c. unde signum ad placitum non est ubique commune, nec significat idem apud omnes; eadem enim vox, quæ apud unam nationem significat hanc rem, apud aliam nationem significat aliam distinctissimam rem, ut patet.

Hęc porrò *significatio* vocum duplex est, alia *propria*, alia *impropria*. *Propria* fit, quando vox usurpatur juxta propriam, & primam significationem, quam accepit ex institutione humana: quò pactò vox *homo* significat veros homines, *leo* veros leones. *Impropria* fit, quando vox per metaphoram, & ob aliquam rerum affinitatem traducitur, seu transfertur ad aliam significationem, ut vox *leo* significat viros fortes, *agnus* Christum Dominum. Solent

Solent alii hic specialiter recensere signum, quod vocant *ex consuetudine*, sed reducitur ad aliquod *signum instrumentale* ex duobus enumeratis. Si enim significatio, seu consuetudo fundetur in ipsa natura, & non purè in voluntate hominum, reducitur ad *signum naturale*: hòc pactò canis visus est signum sequentis sui heri, cum eum ex propria natura canis soleat comitari. Si verò significatio, seu consuetudo fundetur in solo extrinseco beneplacito hominum sic disponentium, tunc tale signum reducitur ad *signum instrumentale ad placitum*, quò pactò hedera ante domum est signum venalis vini.

§. II.

Enodantur Argumenta contra divisionem Signi instrumentalis.

Datur signum *instrumentale* verum, v. g. *vestigium hominis*, quòd non sit signum naturale, nec signum ad placitum: ergo signum instrumentale non rectè dividitur in naturale, & ad placitum. *Prob. Ant.* Quoad primam partem. Quòd ab impositione hominum significat aliud, non est signum naturale, ut constat ex hujus definitione, sed *vestigium hominis* ab impositione hominum significat aliud, scilicet hominem: ergo *vestigium hominis* non est signum

gnum naturale. *Prob. Min.* Illud ab impositione hominum significat aliud, quod ità significat illud, ut possit ab impositione hominum adhuc aliud quid significare: sed *vestigium hominis* ità hominem significat, ut possit ab impositione hominum aliud quid significare, v. g. *Castrum doloris*: ergo *vestigium hominis* ab impositione hominum significat hominem.

Rz. *Neg. Ant.* Quoad primam partem, *Ad Prob. Conc. Maj. Neg. Min.* Ad hujus *Prob. Conc. Maj. & Dist. Min.* Sed *vestigium hominis* sumptis his particulis quoad significationem harum vocum, seu ut sunt voces significativæ, ità significant hominem, ut possint aliud quid significare, *Conc. Min.* Sumptis his particulis quoad rem significatam, *Neg. Min. & Conseq.* Argumentum hoc laborat æquivocatione, si enim hæ particulæ *vestigium hominis* accipiantur, ut sunt voces significativæ, cum prout sic sint signa ad placitum, verum est, quòd sicut ab impositione hominum hæc vox *vestigium* significat *impressionem pedis*, & hæc vox *homo* significat *animal rationale*: ità potuit, vel potest à communi impositione hominum auctoritatem aliquam habentium fieri, quòd eadem vox *vestigium* significaret *castrum*, & hæc vox *homo* significaret *dolorem*. Cæterùm hæ particulæ *vestigium hominis* non sic accipiuntur à nobis in præsentem, dum eas dicimus esse signum naturale hominis ibi
tran-

transeuntis; sed accipiuntur prout jam suppositâ significatione dicunt ipsam rem significatam, nimirum impressionem pedis humani relictam in luto, vel pulvere, quæ impressio ità ex sua natura significat, & repræsentat hominem ibi transiisse, ut nihil aliud ex beneplacito hominum significare valeat; effectus enim à causa naturali relictus non dependet ab extrinseco, ut causam significet, & repræsentet.

Contra. Sed *vestigium hominis* sumptum pro impressione pedis ex libera voluntate hominum significat, & repræsentat illac transiisse hominem: ergo ex impositione libera hominum potest aliud quid significare. *Prob. Min. subs.* Quod ex libera hominum voluntate habet, quòd intelligatur, illud ex libera hominum voluntate significat, & repræsentat; sed *vestigium hominis* sumptum pro impressione pedis ex libera voluntate hominum habet, quòd intelligatur illac transiisse hominem: ergo ex libera voluntate hominum significat, & repræsentat illac transiisse hominem. *Maj. constat:* quia repræsentare est intelligi.

R. Neg. Min. subs. Ad Prob. Conc. Maj. Dist. Min. Sed *vestigium* sumptum pro impressione pedis ex libera voluntate hominum habet, quòd *actu* intelligatur illac transiisse hominem, *Conc. Min.* Quòd *aptitudinaliter, & in potentia* intelligatur illac transiisse hominem, *Neg. Min. & Dist. Conseq.* Ergo

vestigium hominis ex libera voluntate hominum actu significat, & repræsentat illac transiisse hominem, *Conc. Conseq. aptitudinaliter, & in potentia, Neg. Conseq.* Verum est, quòd, ut actu & exercitè aliquid significet, & repræsentet, debeat actu & exercitè intelligi: & ità sicut *vestigium hominis* per liberam applicationem potentiarum intellectivarum habet, quòd actu & exercitè intelligatur, transiisse hominem; ità etiam ex libera voluntate hominum habet, quòd actu & exercitè significet, & repræsentet talem hominis transitum: cum quo tamen stat, quòd *vestigium hominis* per modum signi naturalis ex natura sua habeat aptitudinem ad significandum, & repræsentandum transitum hominis, & hoc sufficit; non enim est opus, ut signum sit actu significans, sed sufficit, quòd sit significativum; quia ut dictum est *lib. 1. cap. 1. §. 1.* ex communi modo loquendi Dialecticorum: *Verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem.*

Contrà. Ex dictis: *vestigium hominis* est ex natura sua solum significativum, seu habet aptitudinem ad significandum: sed hæc non sufficit ad signum naturale: ergo *vestigium hominis* non est signum naturale. *Prob. Min.* Omne signum etiam ad placitum ex natura sua est significativum: ergo esse ex natura sua significativum non sufficit ad signum naturale. *Prob. Ant.* Illud est ex natura sua significativum, cui est essentialis,

le, quòd fit significativum; sed omni signo est essenziale, quòd fit significativum: ergo omne signum ex natura sua est significativum.

R. Conc. Maj. Neg. Min. Ad Prob. Neg. Ant. Ad cujus Prob. Conc. Maj. & Dist. Min. Sed omni signo reduplicativè, & formaliter sumpto, seu suppositâ ratione formali signi, est essenziale, quòd fit significativum, *Conc. Min.* Sed omni signo materialiter, & specificativè sumpto, seu ex materiali sua entitate est essenziale, quòd fit significativum, *Neg. Min. & Conseq.* sub eadem distinctione. Signum formaliter, & reduplicativè tale supponit jam, & importat ipsam rationem formalem signi; & ideo de essentia cujuscunque signi hòc modò sumpti est, quòd significativum sit: aliàs esset signum, & non esset signum. Cæterùm signum naturale ex sua entitate materiali habet, quòd fit significativum, quia nimirum talis entitas ex natura sua dicit naturalem connexionem, & convenientiam cum significato, v. g. *vestigium hominis* cum homine transeunte, ideo de essentia signi naturalis etiam materialiter sumpti est, esse significativum: è contrâ, quia entitas materialis signi ad placitum, v. g. hujus vocis *leo* non ex natura sua, sed solùm ab arbitrio hominum dicit convenientiam cum suo significato, nimirum natura leonina; ideo de essentia signi ad placitum materialiter accepti non est, esse

significativum, seu quod est idem, ideo signum ad placitum ex sua entitate materiali non habet, quòd sit significativum. Per quæ patet disparitas magna jam aliunde supra §. *precedente* insinuata inter signum naturale, & ad placitum.

Contra. Sed signum ad placitum ex sua entitate materiali habet, quòd sit significativum: ergo nulla disparitas. *Prob. Min. subs.* Imago Cæsaris est signum ad placitum ipsius Cæsaris, sed etiam ex sua entitate materiali habet, quòd sit significativum Cæsaris: ergo. *Prob. Maj.* Quod est signum dependenter à libera voluntate, & arte hominum, est signum ad placitum: sed imago Cæsaris dependenter à libera voluntate, & arte hominum, est signum Cæsaris: ergo est signum ad placitum. *Minor* constat, quia in tantum imago Cæsaris est signum, in quantum est imago illius, quod utique habet ab arte.

R. Neg. Min. subs. Ad *Prob. Neg. Maj.* Ad *Prob. Dist. Maj.* Quod est signum dependenter à libera voluntate, & arte hominum causaliter, & præsuppositivè influente est signum ad placitum, *Neg. Min.* Formaliter, actualiter, & constitutivè influente, *Conc. Maj. & Dist. Min.* Sed imago Cæsaris est signum dependenter à libera voluntate, & arte hominum præsuppositivè influente, *Conc. Min.* Constitutivè influente, *Neg. Min. & Conseq.* Licèt ergo præcesserit libera hominum ars, quâ imago Cæsaris est depicta,

picta, & ità sit signum illius dependenter à libera arte præsuppositivè influente, non tamen constitutivè influente, quia imago semel depicta ex sua natura, & entitate ob naturalem, & intrinsecam similitudinem cum Cæsare constituitur formaliter, & actualiter in ratione signi, & idèo imago Cæsaris est signum naturale illius. Econtrà signa ad placitum, uti sunt *voces*, seu *nomina*, sunt signa à libero arbitrio hominum etiam constitutivè, & actualiter influente, in quantum fingunt, & ponunt in illis relationem extrinsecam rationis ad sua significata.

Contrà. Sed imago Cæsaris est signum dependenter à libera voluntate hominum actualiter, & constitutivè influente: ergo est signum ad placitum. *Prob. Min. subs.* Ideo imago Cæsaris non esset signum dependenter à voluntate hominum actualiter, & constitutivè influente, quia imago semel depicta naturaliter repræsenteret Cæsarem; sed imago Cæsaris semel depicta non repræsenterat naturaliter Cæsarem: ergo. *Prob. Min.* Ideo imago Cæsaris semel depicta naturaliter repræsenteret Cæsarem, quia talis imago semel depicta solùm Cæsarem, & nihil aliud repræsenteret; sed hæc ratio nulla est: ergo. *Prob. Min.* Etiam voces imposità semel arbitrarià significatione, sua significata significant, & nihil aliud, & tamen non significant naturaliter ex dictis: ergo.

R. Neg. Min. subs. Ad Prob. Conc. Maj. Neg. Min. Ad Prob. gratis Dist. Maj. Ideo imago Cæsaris semel depicta naturaliter repræsenteret Cæsarem, quia ipsum solum, & nihil aliud repræsenteret, & hoc ex natura sua, *Conc. Maj.* Ex arbitrio hominum, *Neg. Maj. & Min.* Disparitas ergo est, quia imago Cæsaris semel depicta, & remanens talis imago, ex sua natura, & entitate habet, quòd solum Cæsarem, & nullum alium repræsenteret: ècontrà voces etiam remanentes tales voces, ab arbitrio hominum habent, quòd talem rem significant, & non aliam. *Ad Prob. Min. Dist. Ant.* Etiam voces impostâ semel arbitrariâ significatione sua significata significant, & nihil aliud, & nec possunt aliud significare, *Neg. Ant.* Et possunt aliud significare, *Conc. Ant.* Est ergo rursus disparitas, & magis explicans præcedentem, quòd vox aliqua v. g. *leo* eâdem suâ immutatâ remanente entitate, id est tali dispositione litterarum ita significet defactò leonem, ut tamen ex arbitrio hominum possit aliud significare, v. g. bovem. At verò impossibile est, quòd remanens eadem omnino imago Cæsaris, alium repræsenteret, quàm Cæsarem, & hoc ob naturalem, & intrinsicam connexionem, ac similitudinem cum ipso.

Contrà. Sed etiam eadem omnino remanens imago Cæsaris potest alium, quàm Cæsarem repræsenterare: ergo nulla disparitas.

Prob.

Prob. Min. subsumpt. Potest dari alius homo quoad omnia omnino similis Cæsari: ergo tunc eadem omnino remanens imago Cæsaris potest alium repræsentare. *Consequentia* tenet, quia talis imago æquè diceret naturalem similitudinem cum illo homine, ac cum Cæsare.

R. Neg. Min. subs. Ad Prob. Conc. Ant. & Dist. Conseq. Ergo eadem omnino imago Cæsaris potest repræsentare alium arietate formali, seu in esse exemplaris repræsentati, *Neg. Conseq.* Arietate materiali, & in esse rei, *Conc. Conseq.* In illo enim casu, homo ille omnino similis Cæsari, non est alius, seu distinctus à Cæsare formaliter, & in ratione exemplaris repræsentati; sed solùm materialiter in esse rei ob diversitatem nominis, dignitatis &c. & ità in tali casu eadem imago Cæsaris naturaliter repræsentaret utrumque permodum unius exemplaris. Quòd autem talis imago aliquibus hominibus repræsentaret Cæsarem, aliquibus verò illum alium similem hominem, solùm sequitur, quòd actualis repræsentatio, seu actualis designatio Cæsaris repræsentati potius, quàm alterius similis hominis oriatur à libero arbitrio hominum, cum quo stat, quòd illa imago ex se, & ex sua natura sit repræsentativa alterutrius permodum unius exemplaris.

Contra. Sed etiam voces remanente sua entitate non possunt significare aliud formaliter significatum, quàm suum, sicut ima-

go Cæſaris: ergo nulla ſolutio. *Prob. Min. ſubſ.* Ex ſæpe dictis, ideo voces remanente ſua entitate poſſent aliud formaliter ſignificatum repræſentare, quia voces ſignificant ex beneplacito hominum: ſed voces aliqua, v. g. *dies*, & *nox* non ſignificant ex beneplacito hominum: ergo. *Prob. Min.* Voces, quæ priùs ſignificabant, quàm fuerit beneplacitum hominum, illæ non ſignificant ex beneplacito hominum: ſed hæ voces *dies*, & *nox* priùs ſignificabant, quàm fuerit beneplacitum hominum: ergo illæ voces non ſignificant ex beneplacito hominum.

R. Neg. Min. ſubſ. Ad *Prob. Conc. Maj. & Diſt. Min.* Sed hæ voces *dies*, & *nox* non ſignificant ex hominum beneplacito formaliter tali, *Conc. Min.* Eminenter, vel æquivalenter tali, *Neg. Min. & Conſeq.* Quando ergo dictum eſt ſuprà, ſignum ad placitum eſſe, quod ex hominum beneplacito ſignificat, per *hominum beneplacitum* intelligimus beneplacitum abſolutè, ſive fit formaliter humanum, ſive æquivalenter, & eminenter, ut divinum: id eſt: per *ſignum ad placitum* intelligimus ſignum, quod ſignificat non ex ſe, ſed aliunde, unde dantur ſigna ad placitum divinum, ſicut ſunt illæ voces *dies*, & *nox*, quæ ſignificant lucem, & tenebras ex impoſitione divina. Similiter Sacramenta, quæ ſignificant gratiam ex voluntate divina.

CAPUT II. De Essentia Termini.

Terminus non rarò accipitur pro certis limitibus finientibus, & ambientibus rem aliquam: quò pactò S. Thomas *in lib. 1. Perib. lect. 4.* Definitionem appellat *terminum*, quia includit totaliter rem, ità scilicet: quòd nihil rei est extra definitionem. Accipitur etiam sæpe *terminus* pro alicujus rei principio, sic primum punctum lineæ vocatur *terminus* initialis. Verùm relictis his aliisque termini acceptionibus, Logicus illum in præsentem accipit pro eo, quod componit propositionem formalem, doctrinalem, & logicalem, seu propositionem, quæ conducit ad directionem intellectûs, comparandamque scientiam.

§. I.

Propugnatur, & oppugnatur Definitio Termini.

Conclusio. Terminus logicus propriè talis bene definitur per hoc, quòd sit *extremum propositionis*; ità plurimi Summulistæ cum Complutensibus.

Probatur 1. Ratione fundatâ in autoritate Aristotelis. Terminus logicus propriè talis est essentialiter, & solùm *extremum propo-*

propositionis : ergo bene definitur per hoc, quòd fit *extremum propositionis*. *Prob. Ant.* Terminus logicus propriè talis est essentialiter & solùm *prædicatum*, & *subjectum* propositionis, sed *prædicatum*, & *subjectum* sunt extrema propositionis; ergo terminus logicus propriè talis est essentialiter *extremum propositionis*. *Maj. Prob.* ex Aristot. 1. *Prior. cap. 1.* cùm inquit : *Terminum autem eum appello, in quem resolvitur propositio, ut prædicatum, & id, de quo prædicatur* : seu *subjectum*. *Min.* verò patet, quia *subjectum* incipit *propositionem*, & *prædicatum* eam finit, sic in hac *propositione* : *virtus est amplectenda*, *ly virtus* est *subjectum* incipiens dictam *propositionem*, & *ly amplectenda* est *prædicatum* illam finiens, & ità *prædicatum*, & *subjectum* sunt extrema *propositionis*.

Probatur 2. *Definitio* constans genere, & differentiâ est bona, sed tradita *definitio termini logici* constat genere, & differentiâ : ergo est bona. *Min. Prob.* & explicatur, nam per *ly extremum* convenit terminus logicus cum aliis extremis, v. g. cum extremis *lineæ* : & per *ly propositionis* differt ab extremis aliarum rerum; solius enim termini logici proprium est, esse *extremum propositionis*.

Argumentum.

Definitio bona debet convenire omni, & soli suo definito, ut constat ex dictis

etis *lib. 1. cap. 2.* sed tradita definitio termini non convenit omni, & soli suo definito: ergo non est bona. *Prob. Min.* Tunc tradita definitio termini non convenit omni, & soli suo definito, quando non omnia, & sola extrema propositionis sunt termini: sed non omnia, & sola extrema propositionis sunt termini: ergo. *Prob. Min.* Dantur aliqui termini, qui non sunt extrema propositionis: ergo non omnia, & sola extrema propositionis sunt termini.

R. Conc. Maj. Neg. Min. Ad Prob. Conc. Maj. Neg. Min. Ad Prob. ex dictis in limine hujus capituli, Dist. Ant. Dantur aliqui termini merè physici, qui non sunt extrema propositionis, *Conc. Ant.* Dantur aliqui termini logici, qui non sunt extrema propositionis, *Neg. Ant. & Dist. Conseq.* Ergo non omnia, & sola extrema propositionis sunt termini logici, *Neg. Conseq.* Ergo non omnia, & sola extrema propositionis sunt termini physici, *Conc. Conseq.* Terminus physicus est cujuslibet rei physicae extremum, sic mors dicitur terminus vitæ, extrema puncta lineæ dicuntur termini illius, sed de his, ut jam supra dictum est, hic non agitur. Terminus logicus, de quo in præfenti, est id, quod incipit, vel finit totum aliquod logicum, scilicet ipsam propositionem, & tales termini sunt omnia, & sola extrema propositionis.

Contra.

Contrà. Sed non omnia, & sola extrema propositionis sunt termini logici: ergo tradita definitio termini non convenit omni, & soli suo definito. *Prob. Min. subs.* Possunt aliqua esse extrema propositionis, quæ non sunt termini logici: ergo. *Prob. Ant.* Voces nihil significantes possunt esse extrema propositionis; sed tales voces non sunt termini logici: ergo. *Prob. Maj.* Voces nihil significantes possunt esse subjectum, & prædicatum, ut cum dico: *Hibi non est habi:* ergo possunt esse extrema propositionis.

R. Neg. Min. subs. Ad *Prob. Neg. Ant.* Ad *Prob. Dist. Maj.* Voces nihil significantes possunt esse extrema propositionis logicalis, & formalis, *Neg. Maj.* Propositionis grammaticalis, & materialis, *Conc. Maj. & Min. ac Neg. Conseq.* Insinuatum jam est supra, quòd terminus logicus sit extremum propositionis formalis, & logicalis, id est conducentis ad directionem intellectûs, comparandamque scientiam: cujusmodi non sunt propositiones illæ materiales, & illitteratæ compositæ ex vocibus nihil significantibus: & ita manet, omnia, & sola extrema propositionis formalis esse terminos logicos. Ad ultimam *Prob. Dist. Ant.* Voces nihil significantes possunt esse subjectum, & prædicatum materialiter, *transeat Ant.* Formaliter *Neg. Ant. & Conseq.* Licet ratio subjecti, (idem dic de prædicato) sit forma quædam rationis denominans subjectum formaliter, quantum

quantum est de se, nihilominus non tribuit hanc denominationem, & formalitatem, nisi subjectum sit capax hujus. Unde cum voces nihil significantes non sint capaces illius formalitatis (quia secunda intentio fundatur super significationem tanquam super suum subjectum) ideo non possunt esse formaliter subjectum, vel prædicatum propositionis, adeoque nec termini logici; sed prorsus excluduntur ab instituto dialectico.

Contrà. Sed non omnia, & sola extrema propositionis formalis sunt termini logici: ergo nulla solutio: *Prob. Min. subs.* Id in quod resolvitur propositio, est verè terminus logicus; sed non omnia, & sola extrema sunt id, in quod resolvitur propositio formalis: ergo non omnia, & sola extrema propositionis formalis sunt termini logici.

Prob. Min. In illa quodlibet resolvitur, ex quibus componitur; sed non omnia, & sola extrema sunt id, ex quo componitur propositio formalis: ergo non omnia, & sola extrema sunt id, in quod resolvitur propositio formalis. *Min.* constat: quia propositio componitur etiam ex copula, seu verbo mediante, & neccente prædicatum cum subjecto.

R. Neg. Min. subs. Ad *Prob. Conc. Maj.* *Neg. Min.* Ad *Prob. Dist. Maj.* In illa quodlibet resolvitur, ex quibus tanquam partibus ut quod componitur, *Conc. Maj.* In illa quodlibet resolvitur, ex quibus solum tanquam partibus ut quo componitur, *Neg. Maj.*

& *Dist. Min.* Sed non omnia, & sola extrema sunt id, ex quo tanquam parte *ut quo* componitur propositio formalis, *Conc. Min.* Sed non omnia, & sola extrema sunt id, ex quo tanquam parte *ut quod* componitur propositio formalis, *Neg. Min. & Conseq.* dicendo, quod propositio formalis componatur quidem etiam ex copula, sed tantum tanquam parte *ut quo*, non verò tanquam parte *ut quod*; unde etiam in copulam propriè resolvi, nequit dici; nam resolutio propriè talis fit solummodo in partes *ut quod* tales, uti constat in composito physico, & metaphysico, sic homo propriè dicitur resolvi solum in corpus, & animam, & metaphysica resolutione propriè, & ultimatè in substantiam, & rationalitatem, ut docent Complutenses in Logica: quia ergo omnia, & sola extrema in composito logico sinè propositione sunt partes *ut quod* tales, hinc etiam in omnia, & sola illa debet dici propositio resolvi; consequenter omnia, & sola extrema propositionis sunt termini logici.

Contrà. Sed propositio resolvitur propriè etiam in id, ex quo tanquam parte *ut quo* componitur: ergo adhuc non omnia, & sola extrema propositionis sunt termini logici. *Prob. Min. subs.* In illud propositio resolvitur propriè, quod habet rationem subjecti in propositione: sed pars *ut quo* habet rationem subjecti in propositione, ergo propositio resolvitur propriè etiam in par-
tem

rem *ut quo*, seu in id, ex quo tanquam parte *ut quo* componitur. *Prob. Min.* De quo aliquid prædicatur in propositione, illud habet rationem subjecti in propositione; sed de parte *ut quo* aliquid prædicatur in propositione, ut cum dico: *verbum est est copula*: ergo pars *ut quo* habet rationem subjecti in propositione.

R. Neg. Min. subs. Ad Prob. Conc. Maj.

Neg. Min. Ad Prob. Conc. Maj. Dist. Min.

Sed de parte *ut quo* formaliter, & reduplicativè sumptâ prædicatur aliquid in propositione, *Neg. Min.* Sed de parte *ut quo* materialiter, & specificativè sumptâ, prædicatur aliquid in propositione, *Conc. Min. & Dist. Conseq.* Ergo pars *ut quo* materialiter, & specificativè sumpta habet rationem subjecti in propositione, *Conc. Conseq.* Formaliter, & reduplicativè sumpta, *Neg. Conseq.* Pars *ut quo* propositionis formaliter, & reduplicativè sumpta est actualis nexus connectens prædicatum cum subjecto, & sic nunquam potest habere rationem subjecti; cum semper tantum mediare debeat inter extrema propositionis, prædicatum scilicet, & subjectum: pars *ut quo* materialiter, & specificavè, seu quæ aliàs est pars *ut quo*, est tunc, quando non habet rationem copulæ actualiter neccentis extrema propositionis, & sic potest habere rationem subjecti in propositione, de hac autem sic acceptâ non est quæstio in præsentî, quia hõc modõ non est ampliùs pars *ut quo*, sed *ut quod* propositionis, & extremũ propositionis.

Contra. Sed de parte *ut quo* formaliter, & reduplicativè sumptâ potest aliquid prædicari in propositione: ergo pars *ut quo* formaliter, & reduplicativè sumpta potest habere rationem subjecti in propositione: *Prob. Min. subs.* De copula actualiter neçtente prædicatum cum subjecto potest aliquid prædicari in propositione: sed pars *ut quo* formaliter, & reduplicativè sumpta est copula actualiter neçtens prædicatum cum subjecto: ergo de parte *ut quo* formaliter, & reduplicativè sumptâ potest aliquid prædicari in propositione: *Prob. Maj.* In hac propositione, quando dico: *homo est animal, est vera propositio*, prædicatur de tota prima propositione, *quòd sit vera*, sed in illa tota prima propositione est copula actualiter neçtens prædicatum cum subjecto: ergo de copula actualiter neçtente prædicatum cum subjecto potest aliquid prædicari in propositione.

R. Neg. Min. subs. Ad Prob. Neg. Maj. Ad Prob. concessâ Maj. Dist. Min. Sed in illa tota prima propositione est copula tantum minus principalis actualiter neçtens prædicatum cum subjecto, *Conc. Min.* Est copula principalis, *Neg. Min. & Dist. Conseq.* Ergo de copula principali actualiter neçtente prædicatum cum subjecto potest aliquid prædicari in propositione, *Neg. Conseq.* De copula minus principali, *Conc. Conseq.* Copula principalis, qualis in adducta propositione est

est secunda, est illa, quæ actualiter nectit totum prædicatum cum toto subjecto, & de hac sic actualiter nectente nihil potest prædicari in illa propositione, in qua sic nectit prædicatum cum subjecto, aliàs esset, & non esset actualis nexus, ut clarum est: copula minus principalis, qualis in adducta propositione est prima, est illa, quæ non habet rationem nexûs sic nectentis, sed intrat permòdum partis totum subjectum, amittitque rationem copulæ propriè, & principaliter nectentis, cum ista semper mediare debeat inter extrema principaliter connexa; & de ista quatenus est pars totius subjecti potest aliquid prædicari, cum quo tamen stat, quòd de copula principali, & exercente formaliter rationem nexûs in tota propositione nihil prædicari possit, adeòque nec habere possit rationem subjecti, & extremi propositionis.

Contrà. Sed de copula quà tali, & principali potest aliquid prædicari in propositione: ergo nulla solutio. *Prob. Min. subs.* De copula actualiter nectente totum prædicatum cum toto subjecto potest aliquid prædicari in propositione; sed ex dictis copula quà talis, & principalis, est copula actualiter nectens totum prædicatum cum toto subjecto: ergo de copula quà tali, & principali potest aliquid prædicari in propositione. *Prob. Maj.* Quando copula actualiter nectens totum prædicatum cum toto subjecto

cto potest esse extremum propositionis illius, in qua sic nectit, tunc de ea potest aliquid prædicari; sed copula actualiter nectens totum prædicatum cum toto subjecto potest esse extremum propositionis illius, in qua sic nectit: ergo de copula actualiter nectente totum prædicatum cum toto subjecto potest aliquid prædicari in propositione.

R. Neg. Min. subs. Ad Prob. Neg. Maj. Ad Prob. Dist. Maj. Quando copula actualiter nectens totum prædicatum cum toto subjecto potest esse extremum propositionis illius logicalis, in qua sic nectit, tunc de ea potest aliquid prædicari, *Conc. Maj. Propositionis illius grammaticalis, Neg. Maj. & Dist. Min.* Sed copula actualiter nectens totum prædicatum cum toto subjecto potest esse extremum propositionis illius logicalis, in qua sic nectit, *Neg. Min. Propositionis illius grammaticalis, Conc. Min. & Neg. Conf.* In propositione grammaticali copula potest & medium, & extremum locum tenere, sed hæc propositio grammaticalis nihil ad Logicum: in propositione verò logicali regulariter, & essentialiter copula debet mediare inter extrema propositionis, & ità, quà talis non habebit rationem extremi, proindeque nec de ea, ut sic aliquid potest prædicari. Deinde datò, quòd copula etiam in propositione logicali ponatur in initio, vel in fine permodum extremi; hoc tamen solum erit de materiali, & quoad situm, non verò de

de formali, & quoad exercitium, quia copula principalis quâ talis formaliter semper exercebit rationem nexûs mediantis inter prædicatum, & subjectum in quocunque loco ponatur. Ex dictis

Infertur primò: contra P. Pley. Summul. cap. 1. §. 1. quæst. 4. & plures alios, voces non significativas non esse terminos logicos, ratio habetur ex suprâ dictis, quia terminus logicus est extremum propositionis formalis, & doctrinalis conducentis ad finem Logicæ, qui est dirigere intellectum in assequenda vera de rebus notitia; voces autem nihil significantes, adeoque nihil notificantes, non possunt esse extrema similis propositionis formalis, ut patet: ergo non possunt esse termini logici.

Infertur secundò: contra P. Khamm. Summul. cap. 1. sect. 3. n. 66. Copulam non esse terminum logicum. Ratio est, quia copula quâ talis formaliter non est extremum, seu prædicatum, vel subjectum propositionis, sed nexus medians, & copulans extrema propositionis.

§. II.

Utrum voces extra propositionem sint propriè termini logici?

Conclusio nostra est negativa juxta probabiliorem Summulistarum opinionem, ut testatur eximius Victoris in sua *Dialectica*

Thomistico-Laurentiana contra P. Khamm,
& plures alios.

Probatur ratione. Terminus logicus propriè talis debet esse extremum propositionis; sed voces extra propositionem non sunt extrema propositionis: ergo voces extra propositionem non sunt propriè termini, *Maj.* habetur ex definitione termini logici. *Prob. Min.* Extrema propositionis sunt prædicatum, & subjectum; sed voces extra propositionem non sunt prædicatum, & subjectum propositionis; ergo non sunt extrema propositionis. *Maj.* est certa, & constat ex dictis *s. præcedenti.* *Min.* verò ostenditur: ratio prædicati est, enunciari de alio, & ratio subjecti est, esse id, de quo aliquid enuntiatur; sed vox extra propositionem nec enuntiatur de alio, nec est id, de quo aliud enunciatur: ergo non est prædicatum, & subjectum.

Respondent Adversarii, quòd, ut voces extra propositionem sint actu termini, sufficiat, ut sint actu aptæ ad terminandam, & componendam propositionem permodum prædicati, vel subjecti, non verò requiratur, ut actu sint extremum propositionis, illamve actu componant.

Sed contra: quòd vox extra propositionem sit apta, ut componat propositionem, fiatque extremum illius, hoc non sufficit, ut dicatur actu verus terminus logicus propriè: ergo ad hoc requiritur, ut actu componat

ponat propositionem, sitque extremum illius. *Prob. Ant. Arist. 1. Prior. cap. 1.* definit terminum logicum: in quem resolvitur propositio, ut in prædicatum, & subjectum; sed ex hoc, quòd vox extra propositionem sit apta, ut componat propositionem, non sufficit, ut propositio dicatur propriè resolvi in illam ut in prædicatum, & subjectum: ergo neque sufficit, ut dicatur propriè terminus logicus. *Min.* videtur esse clara, quia non potest propriè aliquid resolvi in partes, quas actu non habet, priùs est enim, habere partes, quàm in illas resolvi, sicut priùs est, quòd homo habeat actu animam, quàm in illam resolvatur tanquam in partem.

Enervantur Argumenta.

Objicies 1. Voces extra propositionem sunt significativæ: ergo sunt termini. *Prob. Conseq.* Voces significativæ sive sint intra, sive extra propositionem, promiscuè, & communiter ab omnibus vocantur termini: ergo.

R. Transseat Ant. Neg. Conseq. Ad Prob. Dist. Ant. Voces significativæ sive sint intra, sive extra propositionem promiscuè, & communiter ab omnibus vocantur eòdem modò termini, *Neg. Ant.* Diversò modò, *Conc. Ant. & Neg. Conseq.* Voces significativæ intra propositionem vocantur, & sunt propriè termini; ècontrà extra propositionem

nem non vocantur, nec sunt verè, & propriè termini, quia actu non sunt extremum terminans propositionem; unde quòd voces etiam extra propositionem vocentur termini, hoc est impropriè, & in vulgari modo loquendi, cui non est standum, quia *cum pluribus loquendum, cum paucioribus verò sentiendum est*, ut dicitur 2. Topic.

Dices: Voces extra propositionem vocantur ex professo à Logicis termini: ergo vocantur termini in rigore logico, adeoque propriè. *Prob. Ant.* Omnes Logici primam partem Logicæ inscribunt de terminis dirigentibus primam mentis operationem, quod & Complutenses faciunt, qui *Librum secundum Institutionum ad Logicam* inscribunt: *De terminis, seu vocibus simplicibus*. Sed voces extra propositionem dirigunt primam mentis operationem: ergo. *Min.* constat, quia voces prout sunt in propositione, & constituunt istam, dirigunt secundam mentis operationem, sicut ipsa propositio.

R. Neg. Ant. Ad Prob. Dist. Maj. Omnes Logici inscribunt primam partem Logicæ de terminis actu talibus, *Neg. Maj.* Aptitudinaliter talibus, & in potentia, *Conc. Maj. Min. & Dist. Conseq.* Ergo voces extra propositionem vocantur à Logicis ex professo termini aptitudinaliter, *Conc.* Vocantur actu termini, *Neg. Conseq.* Logici ergo in inscribenda prima parte Logicæ *de terminis*, intelligunt terminos non actu, sed in potentia tales:

tales: utuntur tamen potiùs hac voce *terminis*, quàm *vocibus*, quia non tractant de vocibus, nisi quatenus capaces sunt terminandi propositionem.

Objicies 2. Ut aliquid sit terminus logicus, sufficit, ut sit aptum, ut in illud resolvatur propositio, sitque aptitudinaliter extremum propositionis; sed voces extra propositionem sunt aptæ, ut in eas resolvatur propositio, suntque aptitudinaliter extrema propositionis: ergo sunt termini logici.
Maj. Prob. Verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem: ergo.

R. Neg. Maj. Ad *Prob. Dist. Ant.* Verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem, quando actus non est de essentia rei definitæ, *Conc. Ant.* Quando actus est de essentia rei definitæ, *Neg. Ant.* & *Conseq.* Si actus non sit de essentia rei definitæ, tunc verum est: verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem; sic quia de essentia modi sciendi non est actu manifestare ignotum, sed solùm quòd sit potens, quantum est de se manifestare ignotum, ideo in ipsius definitione verba non dicunt actum, sed aptitudinem, ut diximus alibi. Nonnulla tamen inveniuntur, de quorum essentia, & primario conceptu est actus, & actuale exercitium: sicut de ratione verbi mentalis est terminare actu cognitionem, & de ratione existentia est terminare actu naturam, in quorum proinde definitionibus
verba

verba dicunt actum, & non solam aptitudinem. Cum ergo de essentia termini logici sit, esse actu id, in quod resolvitur propositio, debet actu terminare propositionem, actu esse extremum propositionis, ut probatum est, ideo in definitione illius verba debent dicere actum; quod cum non conveniat vocibus extra propositionem, ideo etiam ipsis nequit convenire definitio termini logici.

Dices. Actus non potest esse de essentia alicujus creaturæ: ergo actu terminare propositionem, non potest esse de essentia termini, consequenter verba in definitione termini non dicunt actum, sed aptitudinem.

R. Dist. Ant. Actus proveniens ob infinitam perfectionem non potest esse de essentia alicujus creaturæ, *Conc. Ant.* Actus proveniens ob imperfectionem, *Neg. Ant. & Conseq.* Actus potest esse de essentia alicujus rei, vel quia talis res excludit omnem potentialitatem, utpote includens omnem perfectionem, & hoc est proprium solius DEI; vel quia talis res est tam debilis entitatis, ut non sit, nisi dum actu vel cognoscitur, vel componit, vel terminat, vel unit &c. sic unio non potest existere, nisi actu uniat, ens rationis non potest esse, nisi actu cognoscatur, & hujusmodi est etiam terminus logicus, qui non est, nisi actu sit in propositione extremum, actu terminet illam.

Instabis. Terminus est prior propositione: ergo est, antequam actu sit in propositione.

positione. *Prob. Ant.* Causa est prior suo effectu; sed terminus est causa propositionis: ergo est prior propositione.

R. Neg. Ant. Ad Prob. Dist. Maj. Causa efficiens est prior suo effectu, *Conc.* Causa materialis, *Neg. Maj. & Dist. Min.* Sed terminus est causa efficiens propositionis, *Neg. Min.* Sed terminus est causa materialis propositionis, *Conc. Min. & Neg. Conseq.* Licet causa efficiens sit prior suo effectu, seu præsupponatur existens ad suum effectum, eò, quòd unumquodque operetur, secundum quòd est in actu: causa tamen materialis solum petit esse, & existere in illo instanti reali, in quo causat, & in quo existit suus effectus; cum ergo terminus solum sit causa materialis, ex qua confurgit propositio, ideo non requiritur, ut sit, & existat, priusquam actu terminet, & componat propositionem. *Contra*

Objicies 3. cum P. Khamm n. 73. Nulla pars ex essentia sua actu componit totum; sed terminus est ex essentia sua pars propositionis: ergo terminus ex essentia sua non componit actu propositionem. *Prob. Maj.* inductione: Sic in naturalibus anima rationalis separata est essentialiter pars, &, quòd sit *actus corporis physici organici*, definitur, licet actu non componat hominem. Sic in artificialibus manus, pes statuæ, est essentialiter pars statuæ, licet actu non componat statuam, sic accidentia in Eucharistia, quam-

vis actualiter non accidentant substantiæ, vocantur accidentia. Sic Porphyrius definivit genus, quod de pluribus specie differentibus prædicatur, quamvis actualem prædicationem essentia generis non exigat. *Ratio à priori est*: quia verba in definitione absoluta non important actum, sed aptitudinem, vel virtutem ad actum; sic definitur homo: *animal rationale*, quamvis actu non semper ratiocinetur, ita argumentatur P. Khamm, &

Confirmat: Actuale exercitium non est de essentia partis, ut primùm ostensum est exemplis; atqui actu componere propositionem tanquam totum, est actuale exercitium termini tanquam partis: ergo actu componere propositionem tanquam totum, non est de essentia termini. *R.* Ad objectionem: ex dictis *Dist. Maj.* Nulla pars specificativè, & secundùm se talis ex essentia sua componit totum, *Conc. Maj.* Nulla pars reduplicativè, & connotativè talis ex essentia sua componit totum, *Neg. Maj. & Dist. Min.* Sed terminus est ex essentia sua propositionis pars specificativè, & secundùm se præcisè talis, *Neg. Min.* Reduplicativè, & connotativè talis, *Conc. Min. & Neg. Conseq.* Pars specificativè, & secundùm se talis præscindit ab alia parte actu componente, & sic utique de ejus essentia non est actu componere totum. Pars reduplicativè, & connotativè talis, est pars ut pars, & ut connotat aliam partem actu componentem, de

de cujus proinde essentia est actu cum alia componere totum, pars enim ut pars est illud, quod actu componit totum cum alia comparte. Jam terminus logicus est solus terminus enuntiativus, seu prædicatum, & subjectum, ut ostensum est supra, prædicatum autem, & subjectum est pars reduplicativè, & connotativè talis: ergo terminus logicus est pars propositionis reduplicativè, & connotativè talis, & ità de ejus essentia est actu componere propositionem.

Ad exempla in inductione, & probatione *Majoris* allata, dico, quòd licèt illud, quod est essentialiter pars compositi, & dicit essentialem respectum ad illud, possit dici actu pars, vel extremum compositi, etiam cum actu non componit, quò pactò se habet anima ad hominem, accidentia ad substantiam, genus ad species, & manus ad statuam (si tamen manus separata possit dici propriè, & rigorosè actu pars statuæ, de quo parùm refert) nihilominus id, cui accidit componere, nec dicit essentialem ordinem ad compositum, nequit dici actu pars, vel extremum, antequam actu componat, ut apparet in lapide, qui dum est in lapidicina, etiamsi diceret aptitudinem proximam, & proportionem debitam ad componendam domum, adhuc tamen non dicitur in rigore actu terminus domûs: quia nec eam actu componit, nec dicit essentialem respectum ad ipsam. Constat autem, quòd terminus, dum actu
non

non componit, & terminat propositionem, id est, vox existens extra propositionem, non est essentialiter pars propositionis, nec dicit essentialem ordinem ad componendum: si quidem omnino accidit ei, quòd ab hominibus ordinetur ad componendam propositionem: ergo nisi actu terminet, & componat propositionem, non potest dici actu propriè terminus. Ad rationem, quam adduxit P. Khamm pro probanda *Majori*, jam patet ex responsione nostra suprà data ad objectionem secundam.

Objiciis 4. cum eodem *n. 44.* Terminus est à terminando, sicut signum à significando, & per S. Thomam lapis à lædendo; atqui signum est actu signum, etsi actu non significet (ut videbamus dixisse agentes suprà de signo) & lapis est actu lapis, etsi actu non lædat: ergo etiam terminus erit verè actu terminus, etsi actu non terminet.

R. Dist. Maj. Terminus est à terminando sicut signum à significando, & lapis à lædendo, ly *sicut* dicente paritatem quoad etymologiam, & derivationem nominum præcisè, *Conc. Maj.* Ly *sicut* dicente paritatem quoad ipsas naturas, *Neg. Maj.* & *transmissà Min.* (propter signa ad placitum, quidquid sit de signis naturalibus) *Neg. Conseq.* Argumentum desumptum ab etymologia non est efficax ad convincendum: nihilominus do disparitatem inter signum, lapidem, & terminum. Quòd signum actu
non

non significet, nisi actu intelligatur, ut constat, & sic positio semel signo in actu v. g. *vestigio hominis*, adhuc ejus actualis significatio dependet ab aliquo extrinseco, nimirum ab intellectu actu intelligente, qui cum possit actu non intelligere, seu non colligere rem significatam ex signo; ideo per accidens potest a signo tolli actualis significatio, remanente tamen adhuc signo in actu tali, v. g. *vestigio hominis*, similiter positio semel actualiter lapide, adhuc actualis læsio dependet ab aliquo extrinseco, nimirum ab eo, qui læditur, qui cum possit actu non lædi, ideo per accidens tollitur a lapide actualis læsio remanente lapide actualiter tali: econtrà positio semel termino logicò in actu, actualis ejus terminatio non amplius dependet ab aliquo extrinseco, quamvis enim ab intellectu dependeat, ut terminus ponatur actu in propositione, positio tamen semel termino actualiter in propositione, actualis ejus terminatio (utpote quam tunc habet ex se absolutè) non amplius dependet ab intellectu, ita ut iste etiam per accidens possit tollere terminationem actualem, remanente adhuc termino actualiter tali.

Objicies s. cum eodem n. 58. Ratio communis comprehendit sub se omne, quod tractatur in aliqua scientia; sed ratio prædicati, & subjecti (sive esse extremum propositionis) non comprehendit omne, quod tractatur in Logica parva: ergo non bene dicitur

dicitur terminus in communi esse prædicatum, & subjectum; *Maj.* constat inductione omnium scientiarum; sic ratio communis Physicæ, v. g. ens mobile comprehendit sub se, quidquid tractatur in Physica; *Min. Prob.* Copula, syncategoremata, adverbia &c. tractantur in Logica parva; sed ratio prædicati, & subjecti non comprehendit ista sub se, ut constare satis videtur: ergo ratio prædicati, & subjecti non est ratio communis in Logica parva, consequenter ratio communis termini non est sola ratio prædicati, & subjecti.

R. *Distinguendo gratis Majorem:* Ratio communis comprehendit eodem modo omne, quod tractatur in aliqua scientia, *Neg. Maj.* Diverso modo *Conc. Maj. & Dist. Min.* Sed ratio prædicati, & subjecti non comprehendit eodem modo omne, quod tractatur in Logica parva, *Conc. Min.* diverso modo, *Neg. Min. & Conseq.* Sic in Physica ens mobile aliqua comprehendit per modum compositi, aliqua per modum principiorum, aliqua per modum unionis nestentis hæc principia &c. ita in Logica parva ratio prædicati, & subjecti comprehendit aliqua per modum modificantis ipsa, uti sunt syncategoremata: aliqua per modum unionis, & copulæ, uti est verbum: aliqua per modum totius, uti est propositio, syllogismus &c. & ita comprehendit omnia diverso modo.

§. III.

Præcedens doctrina de Termino corollariis illustratur.

Colliges primò. Magnam esse differentiam inter hæc tria, scilicet: *Vox, Nomen, Terminus*. *Vox* enim est illa entitas soni, quæ causatur in ore animalis ex collisione quarundam partium, v. g. palati, linguæ, dentium &c. ità deducitur ex D. Thoma in 1. *Perib. lect. 4. & Arist. 2. de anima*. Huic sono, seu entitati vocis si accedat, & adveniat significatio ex hominum impositione, dicetur *nomen*, quod supra vocem addit significationem. *Terminus* tandem supra entitatem vocis, & supra significationem addit rationem terminandi, seu finiendi, vel incipiendi propositionem. Igitur vox aliqua considerata præcisè secundùm suam entitatem est quidem vox, non tamen nomen, licèt sit apta, ut accedente significatione fiat nomen. Similiter nomen secundùm se præcisè non est terminus, licèt prout sic sit aptum, ut accedente ratione terminandi propositionem fiat terminus. Unde sicut vox sine significatione non est actu nomen; sed solùm in potentia, ità nomen extra propositionem est quidem actu nomen, non tamen est actu terminus, sed solùm in potentia, ità fundatè Complutenses in præsentia.

H

Colliges

Colliges secundo: contra P. Khamm, *Summul. cap. 1. sect. 1. n. 4.* Terminum logicum in communi non bene definiri, quòd fit *vox significativa ad placitum constitutiva propositionis*. Ratio est, quia tota hæc definitio convenit nominibus, verbis, aliisque vocibus significativis secundum se, & extra propositionem, quæ tamen non sunt veri termini logici, ut probatum est.

Colliges tertio: contra Bagattam *introduc. Log. disp. 2. sect. 1.* Terminum non bene definiri, quòd fit *omne apprehensum à prima operatione intellectus*, vel quòd fit id, quod terminat cognitionem intellectualem, ut vult P. Pley *Summul. cap. 1. §. 1. quest. 3.* vel, quòd fit signum rei simplici apprehensione perceptæ, ut vult P. Goudin, *Logic. min. quest. 1. artic. 1.* Ratio est: quia omnes istæ definitiones conveniunt vocibus aut non significativis, aut significativis extra propositionem, & copulæ, quæ tamen non sunt termini logici, ut ostensum est.

Colliges quarto: contra P. Khamm *Summul. cap. 1. sect. 3. num. 57.* Terminum in communi, sive absolutè sumptum bene definiri ex Arist. *1. Prior. cap. 1. esse, in quem resolvitur propositio, ut in predicatum, & subjectum*. Ratio est: quia omnis terminus logicus verè, & propriè talis est terminus enuntiativus, seu actu positus in propositione, actuque eam terminans permodum prædicati, & subjecti, ut supra demonstratum est.

Colliges

Colliges quintò : contra eundem n. 66.
 solum prædicatum, & subjectum esse terminos logicos, quia ut supra definivimus terminum, quòd sit *extremum propositionis*: solum autem prædicatum, & subjectum sunt extrema propositionis; subjectum enim incipit, & prædicatum finit propositionem, & hoc insuper constat ex definitione termini prius ex Aristotele adducta.

CAPUT III.

De variis Termini Divisionibus.

Varias varii divisiones termini adducunt, sed quia vel non omnes sunt ita necessariae, & sciri dignae, vel includuntur, & continentur in aliis divisionibus: ideo eas solum explicabo, quas referunt Complutenses, quos in omnibus sequor, unde fit.

§. I.

Divisio Termini in communi aperitur.

Primâ divisione dividitur terminus in *subjectum*, & *prædicatum*: *prædicatum*, ut jam sæpe insinuatum est, est terminus, qui dicitur, & enunciatur de alio: *subjectum* verò est, de quo aliud dicitur, v. g. *Virtus est sequenda*, *virtus* est subjectum, quia de ea dicitur, quòd sit *sequenda*, & ly *sequenda*

da est prædicatum, quia dicitur de virtute.
Pro qua divisione

Observa primò: Divisionem hanc termini in prædicatum, & subjectum esse divisionem essentialem generis in species. *Probat*ur ex dictis *lib. 1. cap. 3. §. 1.* Illa est divisio essentialis generis in species, in qua divisum æqualiter, & essentialiter participatur à membris dividendis; sed terminus æqualiter, & essentialiter participatur à prædicato, & subjecto: ergo divisio termini in prædicatum, & subjectum est divisio essentialis generis in species. *Prob. Min.* Tunc divisum æqualiter, & essentialiter participatur à membris dividendis, quando unumquodque membrum independenter ab alio participat divisum, & divisum de unoquoque prædicatur *in quid*, seu essentialiter; sed prædicatum independenter à subjecto, & subjectum independenter à prædicato participat rationem termini, & terminus de unoquoque prædicatur *in quid*, seu essentialiter: ergo terminus æqualiter, & essentialiter participatur à prædicato, & subjecto: *Min.* ostenditur. Nam inquirenti, *quid* sit prædicatum? respondetur est terminus, qui de alio dicitur: similiter interroganti, *quid* sit subjectum? respondetur, est terminus, de quo aliquid dicitur: ergo terminus prædicatur de prædicato, & subjecto *in quid*, seu essentialiter, & quodlibet eorum independenter ab alio, ut constat.

Observa

Obserua secundò: Prædicatum in propositione habere rationem formæ, quia in subiecto recipitur, & illud actuatur, & ità prædicatum est terminus formalis, seu ut loquitur D. Th. 1. *Perih. lect. 8. prædicatum est pars formalis, & completiva enunciationis,* seu propositionis; subiectum verò habet rationem materiæ, quia recipit prædicatum, & ab eo actuatur, & informatur, & ità est terminus, & pars materialis propositionis.

Dices: Forma est perfectior materiâ; sed ex dictis prædicatum est pars, & terminus formalis, subiectum verò materialis: ergo prædicatum erit terminus perfectior subiectò; & ideo etiam prædicatum vocat S. Thomas *locò mox citatò*, partem principaliorem enunciationis; consequenter jam prædicatum, & subiectum non sunt æqualiter termini, & ità divisio termini in prædicatum, & subiectum non erit essentialis, & generis.

R. Dist. Maj. Forma est perfectior materiâ per respectum ad communem rationem, quam dividunt, *Neg. Maj.* (universaliter intellectam) Forma est perfectior materiâ per respectum ad proprias rationes, & naturas, *Conc. Maj. Min. & Dist. Conseq.* Ergo prædicatum est terminus perfectior, & principalior subiectò per respectum ad communem rationem termini, *Neg. Conseq.* Per respectum ad proprias eorum rationes, & naturas, *Conc. Conseq.* Solutio hæc (quæ

fortè magis ad subjectam materiam explicabitur infrà agendo de propositione affirmativa, & negativa) fundatur in sancto Thoma *locò mox citatò*; quando ergo unum membrum dividens est perfectius, & inæquale alteri, ità ut hæc major perfectio, & inæqualitas oriatur ab ipsa ratione communi, quam participant, & dividunt, tunc tollitur univocatio, ut constat in divisione entis in DEUM, & creaturas; quando verò talis major perfectio, & inæqualitas tenet se, & oritur ex ipsis naturis, & rationibus specificis membrorum dividendum, tunc non tollitur univocatio, ut constat in divisione animalis in hominem, & leonem. Jam, quòd prædicatum sit terminus formalis, & perfectior, adeoque inæqualis subjecto, hoc non oritur à ratione communi termini, quam æqualiter participant, ut probatum est; sed oritur à propria, & specifica ratione prædicati, & ità non tollitur, quòd divisio termini in prædicatum, & subjectum sit univoca, & essentialis generis in species.

Dividitur deinde terminus in vocalem, mentalem, & scriptum. Terminus vocalis, est extremum propositionis vocalis, seu exterrnâ, & expressâ voce prolata, ut dum ore pronuntio, &, dico: homo est animal. Terminus mentalis, est extremum propositionis mentalis, seu in intellectu conceptæ, & remanentis; ut dum judico intra me ipsum: hominem esse animal. Terminus scriptus est,
extre-

extremum propositionis scriptæ, seu calamò, aliòve instrumentò exterius exarata.

Observa. Hanc divisionem termini in *mentalem, vocalem, & scriptum* esse divisionem accidentis in subjecta. *Prob.* Illa est divisio accidentis in subjecta, in qua accidens dividitur in subjecta, quibus inhæret, v. g. *album aliud nix, aliud lac*; sed in divisione termini in *mentalem, vocalem, & scriptum*, dividitur terminus, qui est aliquod accidens rationis in subjecta, quibus inhæret; ergo est divisio accidentis in subjecta. *Prob. Min.* Actus intellectûs, voces, & scriptura sunt materiæ, seu subjecta, quibus inhæret terminus; prædicta enim divisio facit hunc sensum: *Ratio termini potest subjectari, seu reperiri, vel in actibus intellectûs, vel in vocibus, vel in scriptura*: ergo in hac divisione dividitur terminus tanquam accidens rationis in subjecta, quibus inhæret.

Caterum in præsentî profundiorè indagatiònem termini scripti, & mentalis misfam facimus, quia illius notitia parùm conducit ad intentum nostrum; istius verò exacta notitia, cùm sit signum formale rei, superare videtur captum summulisticum, & pertinet ad libros de anima, ut supra agentes de signis insinuavimus; quare nos convertimus ad terminum vocalem, utpote usitatiorè, & communiore pro manifestandis internis conceptibus, indagandave veritate.

§. II.

Prima divisio termini vocalis enucleatur.

Dividitur terminus vocalis in *Categorematicum*, & *syncategorematicum*. *Categorematicus* est, qui *per se ipsum significat*; dicitur autem *significare per se ipsum*, quia *significat aliquid*, seu *per modum cujusdam rei*, ita ut *per se*, & *fine adminiculo alterius* possit esse *integrum subjectum*, vel *prædicatum in propositione*, v. g. *homo*, *lapis*: unde terminus *categorematicus* vocatur *significativus*, & comparatur literis vocalibus, quæ se solæ sonant. Terminus *syncategorematicus* est, qui *per se non significat*, *junctus tamen categorematico facit illum aliter significare*: dicitur: *per se non significare*; quia non *significat aliquid*, sed *solum aliquammodo*, seu non *significat per modum rei*, sed *solum per modum modi*, aut *determinationis rei*, quatenus tribuit certum aliquem modum significandi termino *categorematico*, ita ut *per se*, & *fine consortio alterius* non possit esse *prædicatum*, vel *subjectum in propositione*, sed *solum modus prædicati*, & *subjecti*, v. g. *omnis*, *nullus*, & *alia signa logica*: unde terminus *syncategorematicus* dicitur *consignificativus*, & comparatur literis consonantibus, quæ licet se solis non sonent, *junctæ tamen vocalibus sonant*, & faciunt

ciunt istas aliter, ac aliter sonare. Pro hac divisione.

Observa primò: nomina adjectiva, v. g. *albus, dulcis,* (nisi sint signa logicalia, ut *omnis, nullus*) non esse excludenda à ratione termini categorematici, quia possunt significare per se aliquid in propositione, & esse prædicatum, ut dum dico: *homo est albus:* similiter ad terminos categorematicos pertinent termini in plurali, v. g. *homines,* quia ad rationem termini categorematici parum interest, quòd significet *aliquid,* vel *aliqua in plurali.*

Observa secundò: Ad terminos syncategorematicos pertinere omnia adverbia, v. g. *velociter, doctè &c.* (nisi sumantur in virtute termini categorematici) quia licet syncategoremata ex parte rei significata idem significant, quod categoremata; habent tamen diversum modum significandi, qui potissimum in terminis attendi debet; nam categoremata *significant aliquid tanquam rem solidam;* syncategoremata verò *permodum modi,* ut inquit Vietoris *Dial. cap. 1. artic. 3.* & ideo ista non possunt esse per se prædicata, vel subjecta in propositione.

Observa tertio: Terminos syncategorematicos non ideo dici *consignificativos,* seu per se non significativos, quia se solis nihil significant, nam v. g. *omnis, aliquis* sunt veræ voces significativæ etiam se solis; sed ideo dici *consignificativos,* quia se solis habent

habent talem modum significandi, quòd de nulla re dici possint verè significativè, nisi cum alio, vel explicitè importato, vel implicitè intellecto.

Observa quartò: Prædictam divisionem termini in categorematicum, & syncategorematicum esse divisionem analogam, seu analogi in sua analogata; ratio est, quia terminus categorematicus, cum simpliciter significet aliquid per se, sitque extremum propositionis, est simpliciter terminus; syncategorematicus verò, cum non significet per se aliquid, nec possit per se esse extremum propositionis, est secundum quid terminus: indè fit, quòd ista duo membra inæqualiter participant divisum, & ità divisio illa fit analogica.

Observa quintò: Huic divisioni solet addi alius terminus, qui vocatur *mixtus*, qui virtualiter, seu æquivalenter habet admixtam rationem termini categorematici, & syncategorematici saltèm quoad sensum, v.g. *nemo*, quod idem est, ac *nullus homo*: ex qua parte significat *nullus* est syncategorematicus, & ex qua parte significat *homo*, est categorematicus.

Terminus categorematicus dividitur in *complexum*, & in *incomplexum*. *Complexus* est, *cujus partes separate significant juxta significationem habitam in toto*, id est, *cujus partes separate, seu sumptæ per se, & solæ idem significant, quod significabant junctæ cum*

cum aliis, ut *homo albus*. Terminus *incomplexus* est, *cujus nulla pars separata significat, saltē juxta significationem totius vocabuli*. Id est, *cujus nulla pars separata significat idem, quod significabat juncta cum aliis partibus in toto, v. g. homo, leo, & omnes voces simplices, imò & compositæ, v. g. Dominus, Sacerdos*, nam licet partes separatæ hujus vocis nimirum *sacer* significet per se aliquid, scilicet, rem DEO dicatam, & etiam *dos* aliquid significet, scilicet, donum sponsæ datum: tamen quia non significant juxta significationem, quam habebant in toto, nempe *Ministrum deputatum à DEO ad sacrificandum*, ideo excluduntur tales voces à termino complexo, & sunt incomplexi. Porro hæc divisio est etiam analogâ; quia terminus complexus, cum sit simpliciter oratio, solum secundum quid, habet rationem termini, e contra incomplexus est simpliciter terminus.

Observa: Quòd ad rationem termini complexi requiratur *primo*, ut una pars se habeat permodum determinabilis, & altera permodum determinantis, adeoque tales partes se habeant congruè, seu cum aliquo ordine, & ideo hæc oratio, *homo, leo* non est terminus complexus. *Secundò*, ut partibus termini complexi respondeant diversi conceptus, adeoque non sint nomina synonyma, ut *Marcus, Tullius, Cicero*, ex parte enim
rei

rei significatæ est idem unico conceptu apprehensum.

Rursus terminus incomplexus dividitur in univocum, æquivocum, & analogum. Univocus est, qui significat plura in aliqua ratione omnino convenientia, vel aliter, qui significat aliquam rationem, quæ est omnino, & simpliciter eadem in pluribus, v. g. homo, nam natura significata per hunc terminum est simpliciter eadem in omnibus suis inferioribus, scilicet individuis. Æquivocus est, qui significat plura nullò modò convenientia secundùm quod per tale nomen significantur; si enim aliunde in aliqua ratione convenient, hoc non attenditur; est ergo terminus æquivocus, qui in pluribus rationes omnino diversas significat, sic v. g. canis respectu marini, cælestis, & latrabilis, quibus solum nomen est commune, rationes verò omnino diversæ. Analogus est, qui significat plura, nec omnino convenientia, nec omnino disconvenientia, sed mediò modò, sicut sanum respectu animalis, & medicinæ, nam animal dicitur sanum, quia habet in se sanitatem, medicina verò, quia eam causat.

Observa. Terminum æquivocum, & analogum posse fieri univocum, si per aliquam particulam restringatur ad unam rationem significandam, ut si cani addatur *latrabilis*, fiet univocus ad omnes canes latrabiles, adhuc tamen manebit terminus incomplexus, licèt plures voces sint, nam istæ separatæ

separatæ non significant id, quod significabant junctæ, sic *canis* seorsim non significat id, quod significat, dum jungitur *latrabilis*; & vel maximè, quia est per accidens, quòd non habeamus nomen unicum exprimens hæc duo *canis latrabilis*. Reliqua, quæ hìc aliqui præmaturæ inculcant de natura, & divisione Analogiæ, omitto, utpote materiam valde intricatam, & difficilem (ut testantur Complutenses) adeoque captui summulistico improporionatam.

§. III.

Secunda divisio termini vocalis evisceratur.

Dividitur ulteriùs terminus vocalis in *communem, & singularem*. Terminus *communis* est, qui significat plura *divisim*, sive qui ità significat plura in aliqua ratione convenientia, ut de singulis *divisivè* possit prædicari: v. g. *homo*, qui significat, & prædicari potest de hoc vel illo homine, de Petro, vel Paulo, qui omnes conveniunt in natura humana. Terminus *singularis* est, qui tantum unum significat, & hoc quadrupliciter; vel enim significat unum *determinate*, ut *Petrus*, & vocatur *terminus singularis determinatus*; vel significat unum ex *additione alicujus signi demonstrativi, vel restrictivi*, v. g. *hic homo*, & vocatur *demonstrati-*

vus: vel significat unum *suppositione aliqua factâ*, licet aliàs plura posset significare, v. g. *filius Regis*, suppositô, quod Rex non habeat, nisi unicum filium, & hic vocatur *terminus singularis ex suppositione*; vel significat unum *ex additione alicujus signi logicalis particularis*, ità tamen, ut illud unum non determinet, an sit hoc, vel illud, & vocatur *terminus singularis vagus*, v. g. *aliquis homo, quidam homo*. Ad terminum singularem reduci potest *terminus collectivus*, quâ ratione est collectivus formaliter, licet enim significet plura, significat tamen illa permodùm unius, & collectivè, ità ut non possit de singulis singillatim, & divisim prædicari, v. g. *civitas, populus*, non enim possum dicere de isto homine, v. g. *hic homo est populus, Petrus est populus*.

Dixi: quâ ratione *collectivus formaliter*, sive ut plura significat collectivè, & permodùm unius, si enim sumatur, v. g. *populus* prout abstrahit ab hoc, & illo populo, potèstque de unoquoque prædicari, v. g. *populus Bohemicus est populus, Austriacus est populus*, tunc jam est *terminus communis*, quia prout sic, significat plura divisim, & non simul.

Ulteriùs terminus communis dividitur in *transcendentem*, & *non transcendentem*. *Transcendens* est, qui in omnibus invenitur, & eorum differentias penetrat, id est, qui in omnibus rebus, & secundùm quamlibet illarum

rum

rum rationem invenitur, & de illis prædicatur, & hujusmodi terminos enumerat sex D. Thomas *quæst. 1. de ver. art. 1.* comprehendunturque hoc vocabulo *REUBAU*, id est: *Res, Ens, Verum, Bonum, Aliquid, Unum*, de quibus Metaphysici.

Terminus *non transcendens* est, qui de aliquibus solum prædicatur, v. g. homo. Huic divisioni addunt aliqui aliud membrum, nimirum, *terminum supertranscendentem*, qui scilicet *ad plura se extendit, quàm transcendens*, quia non solum prædicatur, & verificatur de rebus veris, & habentibus aliquod esse, sed etiam de omnibus fictitiis, v. g. *imaginabile, cogitabile*; utrùm autem hic terminus sit admittendus? non est res tanti, ut nos detineat; videtur tamen non debere admitti, quandoquidem de omni imaginabili potest saltèm res, ens, aliquid &c. rationis prædicari.

§. IV.

Reliquæ divisiones termini vocalis excenterantur.

Tertio dividitur terminus vocalis in *concretum, & abstractum*. *Concretus* est, qui significat formam concernendo subjectum, sive qui significat aliquid constitutum ex subjecto, & forma, v. g. *album, homo*. *Abstractus* est, qui significat solam formam, sive qui significat formam absque eo, quòd intelligatur

gatur subjectum, in quo est v. g. *albedo, humanitas.*

Quartò dividitur terminus vocalis in *absolutum, & connotativum.* *Absolutus* est, qui significat rem ad modum per se stantis, hoc est, qui ità significat aliquid, ac si per se staret, & nulli subjecto adjaceret, sive sit substantia, ut *homo*, sive sit accidens, ut *albedo*, dummodo ex modo significandi significet permodum substantiæ, quod est significare permodum per se stantis. *Connotativus* est, qui significat permodum alteri adjacentis, id est, qui ità aliquid significat, ut intelligatur alteri adhærere, sive sit accidens, ut *albus*, sive sit substantia, ut *humanum*, dummodo ex modo significandi significet permodum accidentis, quod est significare permodum adjacentis; terminorum enim distinctio non sumitur ex re significata, sed ex modo significandi. Pro his duabus divisionibus ad vitandam confusionem in illis occurrentibus

Observa primò. Quòd aliqui soleant hic dividere terminum in *substantivum, & adjectivum*, sed hæc divisio coincidit cum præcedenti quartâ divisione, nam terminus absolutus est idem apud Dialecticos, quod nomen *substantivum* apud Grammaticos, & terminus connotativus est idem apud illos, quod nomen *adjectivum* apud istos.

Observa secundò. Terminus *concretus* ad plura se extendit, quàm *connotativus*, & ità

ità etſi omnis terminus connotativus ſit *concretus*, non tamen omnis concretus eſt *connotativus*; quia connotativus addit ſupra concretum modum ſignificandi permodum alteri adjacentis; unde ly *homo*, etſi ſignificet formam, & ſubjectum, adeoque ſit terminus concretus, quia tamen non habet modum ſignificandi permodum alteri adjacentis, ſed permodum per ſe ſtantis, ideo non eſt terminus connotativus, ſed *absolutus*.

Obſerva tertio. Quòd terminus *absolutus* ad plura ſe extendat, quàm *abstractus*, & ità licet omnis *abstractus* ſit *absolutus*, non tamen omnis *absolutus* eſt *abstractus*, ſic *homo* eſt *absolutus*, ſed non *abstractus*.

Quinto. Dividitur terminus vocalis in *finitum*, & in *inſinitum*. *Finitus* eſt, qui aliquam naturam determinatè ſignificat, ſeu qui caret negatione inſinitante, v. g. *homo*: iſte enim terminus determinatè ſignificat naturam humanam, & non afficitur hac particulâ *non*. Terminus *inſinitus* eſt, qui non ſignificat aliquid determinatè ex vi ſua ſignificationis, ſive qui afficitur particulâ inſinitante *non*, v. g. *non homo*, iſte enim terminus ſignificat omnia, quæ non ſunt *homo*, quæ cùm inſinita ſint, ideo vocatur terminus *inſinitus*. Circa terminum *inſinitum*

Obſerva: duplicem eſſe negationem, ſcilicet *negationem inſinitantem*, & *negationem negantem*, tunc eſt *negatio inſinitans*, quando *negatio*, id eſt iſta particula *non* immediate

diatè afficit solum terminum, & non copulam, v. g. *lapis est non homo*. Tunc verò est *negatio negans*, quando ista particula *non* afficit immediatè non terminum, sed ipsam copulam, seu verbum, v. g. *lapis non est homo*, & ab hac *negatione negante* propositio redditur negativa, diciturque hæc negatio esse malignantis naturæ, quia destruit omnia, quæ post se invenit, ut patet in allato exemplo, destruit enim hominem per respectum ad lapidem, negando ipsi convenire.

§. V. Incidens.

Utrum Terminus infinitus sit propriè Terminus.

Conclusio est negativa. Ità Complutenses in presenti.

Probatur ratione: primò. Terminus propriè talis debet conducere ad propositionem logicalem, & scientificam; sed terminus infinitus non conducit ad propositionem logicalem, & scientificam: ergo terminus infinitus non est propriè terminus. *Maj.* admittitur ab omnibus Philosophis, utpote nihil aliud intelligentibus per terminum, quàm quod conducit ad propositionem logicalem. *Min.* verò *Prob.* Propositio logicalis, & scientifica ducit intellectum in cognitionem alicujus rei determinatæ, ut constat: sed terminus

minus infinitus non conducit ad propositionem, quæ ducat intellectum in cognitionem alicujus rei determinatæ: ergo non conducit ad propositionem logicalem, & scientificam. *Prob. Min.* Quod nihil determinatè significat, non conducit ad propositionem, quæ ducit intellectum in cognitionem alicujus rei determinatæ; sed terminus infinitus nihil determinatè significat: ergo non conducit ad propositionem, quæ ducit intellectum in cognitionem alicujus rei determinatæ. *Maj.* constat ex terminis, *Min.* verò continet definitionem termini infiniti.

Probatur secundo aliâ ratione efficaci. Terminus propriè talis debet conducere ad finem Logicæ; sed terminus infinitus non conducit ad finem Logicæ: ergo non est terminus logicus propriè talis, *Maj.* constat; quia terminus logicus est aliquod instrumentum Logicæ; nulla autem scientia considerat instrumenta inepta ad suum finem obtinendum. *Min.* verò *Prob.* Finis Logicæ est juxta omnes Logicos modus sciendi, qualiscunque deinde sit; sed terminus infinitus non conducit ad modum sciendi; ergo non conducit ad finem Logicæ. *Min. Prob.* Omnis modus sciendi manifestat aliquam rem ignotam determinatam, nimirum vel essentiam, vel partes rei, vel proprietates rei; sed terminus infinitus non conducit ad manifestandam aliquam rem determinatam, cum nihil determinatè significet:

ficet: ergo non conducit ad modum sciendi. *Maj.* constat ex dictis *lib. 1. cap. 1. §. 2.* ubi ostendimus solam essentiam, partes, & proprietates rei, esse ignota manifestabilia per modum sciendi.

Argumentum.

Terminus finitus est propriè terminus: ergo etiam infinitus. *Prob. Conseq.* Terminus infinitus est propriè terminus, si terminus finitus sit propriè terminus; sed terminus finitus ex dictis est propriè terminus: ergo etiam infinitus. *Prob. Maj.* Terminus vocalis à nobis dividitur in terminum finitum, & infinitum: ergo terminus infinitus est propriè terminus, si terminus finitus est propriè terminus.

R. Conc. Ant. Neg. Conseq. Ad Prob. Neg. Maj. Ad Prob. Dist. Ant. Terminus vocalis dividitur divisione analogâ in terminum finitum, & infinitum, *Conc. Ant.* dividitur divisione univocâ, *Neg. Ant. & Conseq.* Terminus finitus est simpliciter, & propriè terminus: terminus infinitus, ut probavimus, est secundum quid, & impropriè terminus; & ità in divisione termini in finitum, & infinitum membra dividentia non participant æqualiter divisum, consequenter talis divisio est solum analogâ. Voluimus autem ideo etiam terminos infinitos quantumvis impropriè tales inspicere *§. precedenti*, ut videntes, quinam terminus sit aptus ad propositionem

tionem scientificam, etiam videamus illos, qui non sunt apti, quales sunt termini infiniti, ut sic opposita juxta se posita magis elucescant.

Contrà. Sed terminus vocalis dividitur divisione univocâ in terminum finitum, & infinitum: ergo si finitus est propriè terminus, etiam infinitus est propriè terminus. *Prob. Min. subs.* Tunc terminus vocalis dividitur divisione univocâ in terminum finitum, & infinitum, quando uterque terminus æqualiter participat divisum, scilicet terminum; sed uterque terminus æqualiter participat divisum: ergo. *Prob. Min.* Tunc uterque terminus æqualiter participat divisum, quando uterque potest esse extremum propositionis; sed uterque terminus tam finitus, quàm infinitus potest esse extremum propositionis: ergo *Maj.* constat, quia divisum, scilicet *terminus* est extremum propositionis.

R. Neg. Maj. subs. Ad *Prob. Conc. Maj. Neg. Min.* Ad *Prob. Dist. Maj.* Tunc uterque terminus æqualiter participat divisum, quando uterque potest esse eodem modò extremum propositionis, *Conc. Maj.* diversò modò, *Neg. Maj.* & *Dist. Min.* Sed uterque terminus potest esse eodem modò extremum propositionis, *Neg. Min.* diversò modò, *Conc. Min.* & *Neg. Conseq.* Terminus finitus potest esse extremum propositionis logicalis, & scientificæ, secus terminus

infinite, ut probatum est: & ita non possunt esse eodem modo extremum propositionis, consequenter nec æqualiter participant divisum, scilicet terminum; sed terminus finitus participat verè, & propriè, secus terminus infinite.

Contrà. Sed terminus finitus, & infinite possunt esse eodem modo extremum propositionis: ergo participant æqualiter terminum. *Prob. Min. subs.* Tunc uterque terminus potest esse eodem modo extremum propositionis, quando uterque aliquid determinatè significat; sed uterque terminus tam finitus, quàm infinite aliquid determinatè significat: ergo uterque potest esse eodem modo extremum propositionis. *Maj.* est fundamentum nostræ conclusionis; *Min.* verò *Prob.* Terminus finitus significat aliquid determinatè; sed etiam terminus infinite: ergo uterque terminus significat aliquid determinatè. *Prob. Min.* Hic terminus: *non homo* est infinite: sed iste aliquid determinatè significat: ergo terminus infinite aliquid determinatè significat. *Prob. Min.* Hic terminus: *non homo* significat determinatam negationem hominis; sed determinata negatio hominis est aliquid determinatè: ergo hic terminus: *non homo* significat aliquid determinatè.

R. Neg. Min. subs. Ad *Prob. Conc. Maj.*
Neg. Min. Ad *Prob. Conc. Maj. Neg. Min.*
Ad Prob. Conc. Maj. Neg. Min. Ad *Prob.*
Dist.

Dist. Maj. Hic terminus: *non homo* significat determinatam negationem hominis, vel infinitanter, vel neganter acceptam, *Conc. Maj.* infinitanter semper acceptam, *Neg. Maj. & Dist. Min.* Sed determinata hominis negatio neganter accepta est aliquid determinatè, *Conc. Min.* sed determinata hominis negatio infinitanter accepta est aliquid determinatè, *Neg. Min. & Conseq.* *Ly non homo* potest accipi, vel *neganter*, & tunc significat determinatam hominis negationem negantem, vel potest accipi *infinitanter*, & tunc significat determinatam hominis negationem infinitantem. Jam, licet determinata hominis negatio negans sit aliquid determinatè, significat enim mihi determinatè non esse hominem, ut dum dico: *lapis non est homo*; nihilominus determinata hominis negatio infinitans nihil est determinatè, dum enim e. g. dico: *lapis est non homo*, *ly non homo* nec mihi determinat, an sit lapis, vel an non sit lapis, aliàs esset negatio negans; quia tamen terminus infinitus v. g. *non homo* est, & significat aliquid indeterminatè, ideo non excluditur à ratione termini improprie dicti.

Contrà. Sed illa determinata negatio: *non homo* infinitanter accepta est aliquid determinatè: ergo significat aliquid determinatè. *Prob. Min. subs.* Tunc illa determinata negatio: *non homo* infinitanter accepta est aliquid determinatè, quando est res de-

terminata: sed illa negatio determinata: *non homo* infinitanter accepta est aliqua res determinata: ergo est aliquid determinatè. *Prob. Min.* Quod potest definiri, est aliqua res determinata; sed illa determinata negatio: *non homo* infinitanter accepta potest definiri: ergo est aliqua res determinata.

R. Neg. Min. subs. Ad Prob. Conc. Maj. Neg. Min. Ad Prob. Dist. Maj. quod potest definiri, est res determinata, vel in actu signato, vel in actu exercito, *Conc. Maj.* quod potest definiri, est res determinata semper etiam in actu exercito, *Neg. Maj. & concessâ Min. Dist. Conseq.* Ergo illa negatio determinata: *non homo* est aliqua res determinata in actu signato, *Conc. Conseq.* in actu exercito, *Neg. Conseq.* Igitur negatio determinata infinitanter accepta in actu signato est utique aliqua res determinata, habens suam determinatam essentiam, per quam possit definiri, v. g. dum dico: illam esse *carentiam alicujus formæ*: negatio autem determinata infinitanter accepta in actu exercito, sive prout dicit actualem carentiam, & remotiorem formæ alicujus, nisi ista carentia significet aliquid determinatè, quod, vel quid sit illud, quò negat talem formam, non erit respectu significati aliqua res determinata: cum ergo illa negatio: *non homo* infinitanter accepta, v. g. in hac propositione: *lapis est non homo*, dicat carentiam nihil determinatè significantem, ut in responsione præcedenti ostend-

ostendimus, ideo talis negatio infinitanter accepta non est aliqua res determinata in actu exercito.

Contrà. Sed illa negatio infinitans: *non homo* est in actu exercito aliqua res determinata: ergo nulla solutio. *Prob. Min. subs.* Quod ponit aliquid exercitè, est aliqua res determinata in actu exercito, ut constat; sed illa negatio infinitans: *non homo* ponit aliquid exercitè: ergo est aliqua res determinata in actu exercito. *Prob. Min.* Tunc illa negatio infinitans: *non homo* ponit aliquid exercitè, quando ista propositio affirmativa de prædicato isto infinito, scilicet: *lapis est non homo*, ponit aliquid exercitè: sed ista propositio affirmativa de prædicato isto infinito, dum dico: *lapis est non homo*, ponit aliquid exercitè: ergo illa negatio infinitans: *non homo*, ponit aliquid exercitè. *Maj.* constat, quia illa negatio infinitans est prædicatum infinitum in illa propositione; *Min.* verò etiam videtur esse certa, quia illa propositio affirmativa ponit exercitè, & actu lapidem esse non hominem, seu lapidem esse aliquid aliud, quàm hominem.

Rz. Neg. Min. subs. Ad Prob. Conc. Maj. Neg. Min. Ad Prob. Dist. Maj. Tunc illa negatio infinitans: *non homo* ponit aliquid exercitè, quando ista propositio affirmativa de prædicato infinito ponit aliquid exercitè ex vi solum suæ copulæ, *Neg. Maj.* quando illa propositio ponit aliquid exercitè ex modo
signi-

significandi termini, seu prædicati infiniti, *Conc. Maj. & Dist. Min.* Sed illa propositio affirmativa de prædicato infinito ponit aliquid exercitè ex vi solùm suæ copulæ, *Conc. Min.* ex modo significandi termini, seu prædicati infiniti, *Neg. Min. & Conseq.* Sic ergo illa propositio affirmativa de prædicato infinito: *lapis est non homo*, ponit hoc, quod est lapidem actu, & exercitè esse non hominem; hoc autem oritur solùm ex vi copulæ, quæ requirit existentiam terminorum, seu extremorum; non verò ex vi modi significandi istius termini, & prædicati infiniti: *non homo*, cùm hic terminus ex vi suæ significationis nihil determinatè significet, sed possit significare id, quod est, & id, quod non est, & sic illa negatio infinitans: *non homo* ex vi suæ significationis, & modi significandi non est exercitè aliqua res determinata.

Contrà. Sed illa propositio: *lapis est non homo*, ponit aliquid exercitè ex vi sui prædicati infiniti *non homo*: ergo nulla solutio. *Prob. Min. subs.* Tunc illa propositio: *lapis est non homo*, ponit aliquid exercitè ex vi sui prædicati infiniti, quando hæc negatio infinitans: *non homo* ex vi suæ significationis ponit aliquid exercitè; sed hæc negatio infinitans: *non homo* ex vi suæ significationis ponit aliquid exercitè: ergo illa propositio ponit aliquid exercitè ex vi sui prædicati infiniti. *Maj. habetur ex responsione prius datâ.* *Min. verò Prob.* Hæc negatio infinitans: *non homo*

homo exercetur determinatè circa hominem, & non circa equum, non circa lapidem &c. ergo ex vi suæ significationis ponit aliquid exercitè.

R. *Neg. Min. subs. Ad Prob. Conc. Maj. Neg. Min. Ad Prob. Dist. Ant.* Hæc negatio infinitans: *non homo* exercetur determinatè circa hominem determinatione excludente alia, *Neg. Ant.* determinatione includente etiam alia, *Conc. Ant. & Neg. Conseq.* Verum quidem est, quòd hæc negatio infinitans: *non homo* exercetur determinatè circa hominem ità, ut non dicam explicitè: *non equus, non lapis &c.* Caterùm etiam non excludo ista, aliavè, per hoc enim, quòd aliquid sit *non homo*, non excluditur, quòd sit *non lapis*, quia potest esse *lapis*: nec etiam excluditur, quòd sit *lapis*, quia potest esse *non lapis*, possum enim dicere: *lapis est non homo*, & similiter: *equus est non homo*, unde illa negatio, & terminus infinitans nihil determinatè ponit sufficiens ad propositionem logicalem, & scientificam.

§. VI.

Ultima Divisio Termini vocalis emedullatur.

SExtò, & ultimò dividitur terminus vocalis in terminum *prima intentionis*, & *secunda intentionis*. Terminus *prima intentionis*

tionis est, qui significat rem secundum id, quod habet à parte rei, id est independenter ab operatione intellectûs, ut homo, & vocatur terminus prima intentionis, quia significat rem, ob quam significandam fuit immediatè institutus, & est prima cognitio, quam de re habemus auditò tali terminò, sic homo significat immediatè naturam humanam realem, quam primò cognosco audità hac voce homo. Terminus secunda intentionis est, qui significat rem secundum id, quod habet unicè ex consideratione intellectûs, & non à parte rei ut species, genus, & similia entia rationis; & vocatur terminus secunda intentionis, quia non significat rem secundum id, quod primò convenit ei prout est in se, sed secundum quod talem rem intelligimus, prout est in intellectu, qui aliquid ipsi rei attribuit, quod à parte rei, & in se non habet, sic esse speciem non convenit homini, prout est à parte rei, sed convenit ei, prout est in intellectu considerante hominem extra sua individua, & cum aptitudine, ac ordine ad illa. Hactenus locuti sumus de termino secundum se; nunc comparando terminos inter se, & loquendo in plurali.

Alii dicuntur termini impertinentes, & alii pertinentes. Impertinentes sunt, quorum unus nec infert alium, nec ei repugnat, ut album & dulce, non repugnat enim album esse dulce, ut constat in saccharo, ex eo tamen,

men, quòd aliquid sit album, non potest inferri, etiam esse dulce; dantur enim alba, quæ dulcia non sunt, sed amara. *Pertinentes* sunt, quorum unus vel infert alium, vel ei repugnat. Porrò si unus alterum inferat, ut *homo*, & *animal*, (ex hoc enim, quòd aliquid sit *homo*, licet inferre, quòd sit *animal*,) dicuntur *pertinentes sequelâ*: si verò unus alteri repugnat, ut *homo*, & *equus*, dicuntur *pertinentes repugnantia*. Vocantur autem ideo adhuc *pertinentes*, quia licet unus terminus de alio prædicari non possit affirmativè, bene tamen negativè v. g. *homo non est equus*.

Pertinentes sequelâ alii sunt *convertibiles*, & alii *inconvertibiles*: *convertibiles* sunt, qui se mutuò inferunt, ut *homo*, & *rationalis*, bene enim sequitur: *est homo: ergo rationalis*, & è contrà: *est rationalis: ergo est homo*. *Inconvertibiles* sunt: quorum unus infert alium, sed non infertur ab illo: ut *homo*, & *animal*: valet siquidem sequela, *est homo: ergo est animal*; non tamen è contrà, *est animal: ergo est homo*, quia potest esse brutum: hocque ideo contingit, quia comparantur permodum superioris, & inferioris.

Pertinentes repugnantia alii dicuntur *disparati*, alii *oppositi*. *Disparati* sunt, qui licet inter se sint omnino diversi, non tamen habent oppositionem propriam, ut *homo*, & *equus*, qui significant naturas omnino diversas & incompatibiles in eodem subjecto.

Oppositi

Oppositi sunt illi: qui habent inter se propriam, & veram oppositionem; & quia oppositio propria est quadruplex; ideo termini aliquando sunt oppositi contradictoriè, ut homo, & non homo, aliquando contrariè, ut calor, & frigus, aliquando privativè, ut visus, & cecitas, aliquando relativè, ut Pater, & Filius.

CAPUT IV. De Suppositione.

EXpositâ essentiâ, & divisione terminorum logicorum, recto ordine cum Complutensibus, & plurimis aliis contra P. Khamm, *Summul. cap. 5. sect. 1.* procedimus ad explicandas proprietates illorum inter disputationem necessarias, quæ sunt: *Suppositio, Ampliatio, Restrictio, Alienatio, Diminutio, & Appellatio.* Primum locum damus *suppositioni* utpote principaliori, & quam etiam logicè acceptam suppono contra P. Khamm *loco citato* esse proprietatem termini logici, & non numerandam esse inter proprietates propositionis; ratio est, quia proprietas prædicatur de re, cujus est proprietas, ut constat; suppositio autem etiam logicè accepta non prædicatur de propositione; sed de termino: non enim dicitur: *suppositio est acceptio propositionis*, sed est *acceptio termini.*

§. I.

Suppositio, ejusque divisio in communi expenditur.

S*uppositio* definitur, quòd sit *positio termini locò alicujus*, hæc vox: *positio*, vel ut alii loquuntur: *acceptio* tenet locum generis, sumiturque pro propositione, seu *acceptio*ne *passiva*, quâ ipse terminus accipitur, ponitur, & substituitur, non verò pro *acceptio*ne *activa*, quæ est ipse actus intellectûs ponens, substituens, & usurpans terminum locò alicujus.

Illæ particulæ *locò alicujus* teneat locum differentiæ, & in illis includuntur illæ particulæ, quas alii in definitione suppositionis addunt explicitè, nimirum: *de quo verificatur*, quia ad suppositionem veram, quam definivimus, oportet *contra* Fonssecam *Institut. Dial. lib. 8. cap. 20.* quòd res aliqua verè designabilis correspondeat, & verificetur de termino per verbum. Unde si dico: *Aristoteles scripsit*, est vera suppositio, seu *acceptio* horum terminorum pro aliquo verè designabili, quod correspondeat, & verificetur de illis: è *contra* si dico: *Centauri currunt*, non est suppositio vera, seu *positio* locò alicujus, quia non est aliquid verè designabile, quod verificetur de illis terminis, cum fortè nunquam fuerint Centauri in rerum natura. Ex quibus

Colliges

Colliges primò: contra Fonseca in loco mox citatò. Suppositionem veram non habere locum extra propositionem, seu terminos extra propositionem non supponere: quia ut est priùs explicatum, ad suppositionem veram requiritur, ut significatum, pro quo terminus accipitur, & supponit, sit designabile, & verificabile de illo per verbum, seu copulam vel implicitè, vel explicitè importatam.

Colliges secundò: ex explicatione nostræ definitionis, quòd illa reipsà coincidat cum definitione, quam Victoris Dial. cap. 2. & P. Khamm Summul. num. 581. aliique ex Soto, Bannez, Ortiz: adducunt, scilicet: suppositio est acceptio termini pro aliquo, de quo verificatur.

Colliges tertio: cum Fonseca loco supra citatò, & P. Khamm num. 584. quamvis in rigore dialectico potiùs dicendum esset: iste terminus supponitur; quasi diceretur: iste terminus sufficitur, aut substituitur; quia, ut diximus, positio, seu acceptio sumitur pro usu, & acceptione passiva: quia tamen suppositio ponit rem significatam sub se, ut loquitur P. Khamm: ideo usitatus modus loquendi obtinuit, ut dicatur: iste terminus supponit, unde & Scholastici solent dicere: ista propositio est de subiecto non supponente, v. g. Adam currit, non autem dicunt: ista propositio est de subiecto non supposito.

Suppositio

Suppositio in communi dividitur in *materiali*, & *formali*; *suppositio materialis* est *positio termini locò sui ipsius*, v. g. *homo est nomen* ubi *ly homo* accipitur pro ipsa voce, & non pro re significata, quare hæc *suppositio materialis* ex Soto *lib. 2. Summul. cap. 2. lect. 2. not. 2.* & juxta Vietoris *Dial. cap. 2. art. 1.* juxta Khamm *Summul. cap. 5. sect. 2. num. 598.* ac juxta communem *Dialecticorum*, nec est vera *suppositio*, quia hæc, ut constat ex definitione, est *acceptio termini pro alio*, quod non habet *suppositio materialis*, nec est vera *proprietas termini*, cum non conducat ad *propositionem logicalem*, & *scientificam*, ducentem in *cognitionem alicujus ignoti à se distincti*; vocatur autem ideo *suppositio materialis* juxta *Complutenses in presenti*, & juxta Vietoris *locò mox citatò*, quia in illa voces non sunt *signa alterius*, sed stant pro se ipsis, & *materialiter se habent in propositione*.

Suppositio formalis est *positio termini locò rei significatæ*, sive pro eo, ad quod *significandum* fuit institutus terminus, v. g. *homo est animal*, ubi *ly homo* supponit pro habente naturam humanam, ad quam *significandam* iste terminus *homo* est institutus: & hæc *suppositio* vocatur *formalis*, eò quòd in illa voces exercent *formaliter officium signi*; cum enim *per Arist. 1. Elench. cap. 1.* ipsas res disputandas in medium producere non possimus, nominibus pro rebus utimur

K tanquam

tanquam signis. Suppositio *formalis* alia est *propria*, alia *impropria*. *Propria* est *positio termini pro re, quam propriè significat*, sive pro re, quam ex *primaria, propria, & immediata institutione significat*, ut dum dico: *homo est animal*, ubi *ly homo* supponit pro habente humanitatem, & *ly animal* pro vivente sensibili, ad quæ significanda hi termini sunt propriè, & primariò instituti. *Impropria* est *positio termini pro re, quam impropriè significat*, seu pro re ad quam significandam per metaphoram, & accommodatitium sensum est translatus terminus, v. g. dum *Christus* vocatur *leo, petra &c.* Cæterum hanc suppositionem *impropriam, & metaphoricam*, utpote non deservientem ad disputationem scientificam, ab hac eandem cum Complutensibus in præsentia arcemus.

§. II.

Divisio Suppositionis propriæ elucidatur.

Suppositio *propria* alia est *simplex*, & alia *realis*, seu *personalis*; suppositio *simplex* est *positio termini locò sui significati primi, & immediati*, ut dum dico: *homo est species*, ubi *ly homo* supponit tantum pro natura humana abstracta, & secundum se, utpote quam immediatè, & primariò significat; & nullò modò pro ipsius individuis, ad quæ significanda solum secundariò, & mediatè extenditur,

ditur, quatenus scilicet in illis reperitur natura humana: similiter dum dico: *Petrus est individuum*, hic terminus: *Petrus* supponit pro hoc determinato individuo, utpote quod primò, & immediatè significat; non verò pro natura humana, quæ est significatum solùm mediatum, & remotum illius termini: *Petrus*.

Suppositio realis, seu personalis est positio termini locò significati tam primarii, & immediati, quàm secundarii, & mediati, ut dum dico: homo est animal, ly homo supponit tam pro natura humana, quàm pro individuis. Pro hac divisione.

Observa primò. Suppositionem simplicem dari, quoties subjectum est in propositione terminus primæ intentionis, & prædicatum secundæ intentionis; sive aliàs termini sint communes, sive singulares, ut dedimus supra exempla: *homo est species, Petrus est individuum*, ubi *ly homo, & Petrus* tanquam subjecta sunt termini primæ intentionis; è contrà *ly species, & individuum* tanquam prædicata sunt termini secundæ intentionis. Unde minùs aptè Fonseca *Institut. Dial. lib. 8. cap. 24.* & P. Khamm *Summul. num. 623.* addunt illam particulam: *communis* in definitione suppositionis simplicis, dicentes: *suppositio simplex est acceptio termini communis &c.*

Observa secundò contrà P. Khamm Summul. num. 626. aptissimè à nobis semper,
 K 2 & pro

& pro semper negari *descensum* ad inferiora, quotiescunque terminus supponit *simpliciter*, & est *communis*, seu significat gradum superiorem: ità, quòd nunquam valeat consequentia à primo, & immediato significato per terminum communem, & simpliciter supponentem importato ad significata secundaria, & inferiora; quare non valet: *homo est species: ergo Petrus est species*. Similiter quotiescunque terminus supponit *simpliciter*, & est *singularis*, seu significans gradum singularem, aptissimè negari semper, & pro semper *ascensum*, ità, quòd nunquam valeat consequentia à primario significato singulari per talem terminum importato, ad secundarium significatum commune, & sic non valet: *Petrus est individuum: ergo homo est individuum*; unde pulchrè, & eruditè dicit Vietoris *Dial. cap. 2. art. 2. Quæ supponunt suppositione simplici, supponunt immobiliter*, quia scilicet sistant in uno simplici significato.

Observa tertio. Suppositionem *realem* contingere, quoties subjectum, & prædicatum sunt termini primæ intentionis; sive subjectum sit terminus communis, ut si dicas: *homo est animal*, & tunc vocatur *suppositio realis communis*, sive subjectum sit terminus singularis, & tunc vocatur *suppositio realis discreta*, ut si dicas: *Petrus studet*, ubi ly *Petrus* supponit non solum pro hoc individuo naturæ humanæ, quod proximè signifi-

significat ; sed etiam pro natura humana, quam mediatè, & remotè significat.

Observa quartò. In suppositione *reali*, sive *communi*, sive *discreta*, semper valere *ascensum*, & *descensum*: ità, ut valeat consequentia à primo, & immediato significato ad secundarium, & mediatum, & sic valet: *homo est animal: ergo Petrus est animal*, similiter: *studet Petrus: ergo studet homo*.

Observa quintò. Minus rectè definitam fuisse suppositionem *realem*, seu *personalem* ut oppositam directè suppositioni simplici à Fonseca *Instit. Dial. lib. 8. cap. 25.* dicente: *Suppositio personalis est acceptio termini communis pro suis mediatis significatis*: aut à P. Khamm *Summul. num. 623.* dicente: *Suppositio personalis est acceptio termini communis distributive*, ratio est: quia suppositio *personalis* exercetur tam in termino communi, quàm singulari, ut ostendimus exemplis; tum quia suppositio *personalis* est acceptio termini non solum pro suis significatis mediatis, in quibus distribuitur; sed etiam pro suo significato immediato, ut patet in exemplis ab ipsismet adversariis, scilicet: *homo est animal*, adductis.

Deinde suppositio *realis* in ordine ad copulam, seu verbum, ut loquitur Vietoris *Dial. cap. 2. art. 3.* & P. Khamm *Summul. num. 626.* & alii: dividitur in *accidentalem*, & *naturalem*. *Accidentalis* est positio termini pro re significata secundum tempus signifi-

eatum per copulam, & secundum exigentiam prædicati, seu est positio termini pro re existente secundum tempus importatum per copulam, vel secundum exigentiam prædicati, v. g. *homo est disputans*, ubi *ly homo* supponit ratione exigentiæ copulæ, id est *ly est* pro homine existente nunc, & præsentem, & ratione exigentiæ prædicati, id est, *disputans*, supponit pro viris, quia fæminas non decet disputare, & hæc suppositio contingit, quando propositio est in materia contingenti, seu quando prædicatum accidentaliter convenit termino supponenti.

Suppositio naturalis, seu ut alii dicunt, *essentialis* est positio termini pro omnibus suis significatis existentibus, & non existentibus, seu est positio termini pro omnibus suis significatis, pro quibus natus est accipi, sive præsentibus, sive non præsentibus, v. g. *homo est animal*, ubi *ly homo* supponit pro omnibus omnino hominibus sine respectu ullius temporis, quia copula non unit extrema pro aliquo determinato tempore, sed importat unionem perpetuam inter prædicatum, & subjectum, & ideo verbum dicitur *absolvi à tempore* in tali propositione, quæ semper est vera, quamvis non existant extrema. Unde hæc suppositio contingit, quando propositio est in materia naturali, seu quando prædicatum est de essentia, vel proprietas termini supponentis.

§. III.

Divisio Suppositionis communis evolvitur.

Suppositio communis, quam §. precedenti observato 3. explicuimus, dividitur in distributivam, copulativam, determinatam, & confusam. Suppositio distributiva est positio termini pro omnibus suis significatis seorsim, & copulative sumptis: id est: quando terminus ita supponit, ut possit cum veritate prædicari de omnibus suis significatis non solum seorsim, & singillatim sumptis, sed etiam de omnibus copulative, simul & conjunctim sumptis, ut dum dico: *homo est animal*, ubi *ly homo* ita accipitur pro omnibus suis significatis, sive individuis, ut non solum possit prædicari de illis seorsim, & singillatim sumptis dicendo: *& Petrus est animal, & Paulus est animal*, & sic de singulis, sed etiam de omnibus simul, & copulative sumptis dicendo: *& Petrus, & Paulus, & Joannes, & alii sunt animal*. Hujus autem suppositionis signum est, si potest prædicatum affirmari de singulis significatis per integras propositiones; & ideo vocatur *distributiva*, quia distribuit omnes partes, quæ sunt sua significata, v. g. *& Petrus est animal, & Paulus est animal, &c.*

Suppositio copulativa est acceptio termini pro omnibus suis significatis non seorsim,

sed simul, & collectivè sumptis, ità, ut per singulas, & integras propositiones non possit prædicatum affirmari de significatis subjecti, sed solùm colligendo, & copulando omnia significata in una propositione, ut si dicas: *omnes Apostoli sunt duodecim*, non potes dicere: *Petrus est duodecim, Paulus est duodecim*, sed debes omnes Apostolos colligere dicendo: *& Petrus, & Paulus, & Joannes, recensendo omnes, sunt duodecim*. Suppositio determinata est acceptio termini pro omnibus suis significatis sumptis seorsim, & disjunctivè: ità, ut prædicatum possit affirmari non solùm de omnibus significatis simul sumptis in una propositione disjunctiva, sed etiam de singulis seorsim per integras propositiones disjunctivas, v. g. *aliquis homo est albus*, ex qua inferre possum: *ergo vel Petrus, vel Paulus, vel Joannes &c. est albus*, & etiam inferre possum: *ergo vel Petrus est albus, vel Paulus est albus &c.* non tamen licet inferre: *ergo & Petrus est albus, & Paulus est albus &c.* neque possum inferre: *ergo Petrus, & Paulus, & Joannes est albus.*

Suppositio confusa est, acceptio termini pro omnibus significatis disjunctivè, & indeterminatè: id est, quando terminus ità accipitur pro omnibus significatis, ut tamen sumatur disjunctivè pro hoc, vel illo significato, (in quo suppositio confusa distinguitur à distributiva) & non sumatur determinatè pro aliquo significato (in quo distinguitur

guitur à determinata) sed confusè , id est ,
 vel pro omnibus , vel pro uno , vel pro alte-
 ro : in exemplo clariùs apparebit , sic dum
 dico : *oculus requiritur ad videndum* , ubi *ly*
oculus non supponit distributivè pro hoc , &
 illo oculo , sicut si diceretur : *omnis oculus*
requiritur ad videndum : nec etiam suppo-
 nit determinatè pro uno oculo , sicut si di-
 ceretur : *aliquis oculus requiritur ad viden-*
dum ; sed supponit confusè , hoc est , disjun-
 ctivè , & indeterminatè , vel pro uno , vel pro
 altero , vel pro omnibus , ità , ut faciat hunc
 sensum : *oculus requiritur ad videndum*
vel dexter , vel sinister , vel uterque , & ità ex
 hac propositione : *oculus requiritur ad vi-*
dendum , non licet inferre determinatè : *er-*
go aliquis oculus requiritur ad videndum ,
 neque licet inferre distributivè : *ergo iste* ,
 & *iste requiritur* : sed solum inferendum
 est : *ergo vel iste , vel ille , vel uterque* .

Suppositio *distributiva* dividitur in *com-*
pletam , & in *incompletam* . *Completa* , quam
 alii absolutam vocant , est *acceptio termini*
non solum pro omnibus speciebus , sed etiam
pro individuis , adeoque , ut dicunt alii , est
 acceptio termini pro omnibus suis significa-
 tis absolutè , ut v. g. *animal est vivens* , ubi
ly animal supponit , & pro suis speciebus ,
 scilicet *homine , bruto* , & etiam pro indivi-
 duis pro *Petro , Paulo , equo , bove* &c. & vo-
 cari solet ista suppositio *pro singulis generum* .
Incompleta , seu ut alii dicunt *accomoda* , est
 acceptio

acceptio termini pro omnibus speciebus, non tamen pro individuis, seu juxta alios: est acceptio termini non pro omnibus absolute, sed pro omnibus accomodate juxta exigentiam prædicati, v. g. omne animal fuit in Arca Noë, ubi ly animal non sumitur pro omnibus individuis animantium, id est, pro omnibus hominibus, pro omnibus leonibus &c. sed intelligitur pro aliquo, vel aliquibus solum individuis ex omnibus speciebus animantium, unde ex hac propositione: omne animal fuit in Arca Noë, non licet inferre: ergo hoc animal modo existens fuit in Arca Noë. Et hæc suppositio vocatur pro generibus singularum.

§. IV.

Regule pro discernendis suppositionibus accommodantur.

O*bserva primò.* Ante positionem regularum; quòd cognitio, & variatio suppositionum maximè pendeat à cognitione, & variatione signorum, quæ signa nihil aliud sunt, quàm ipsi termini syncategorematici non significantes, nisi quando junguntur terminis categorematicis, quos modificant, & faciunt aliter, ac aliter significare juxta ea, quæ diximus in hoc libro *cap. 3. §. 2.*

Observa secundò. Prædicta signa esse in triplici differentia. Alia sunt *universalia*, sive hæc sint affirmativa, ut *omnis, totus, quilibet,*

libet, five sint negativa, ut *nullus*, *nemo*.
 Alia sunt *particularia*, quæ etiam aut affirmativa sunt, ut *quidam*, *aliquis*, aut negativa, ut *aliquis non*, *quidam non*. Alia sunt *mixta* ex universali, & particulari, ex quibus aliqua sunt affirmativa, ut *uterque*, id est: *aliquorum duorum omnis*; aliqua negativa, ut *neuter*, id est: *aliquorum duorum nullus*, & ad hæc signa mixta reducuntur termini numerales, ut *duo*, *tria* &c. item adverbia mixta ex categorematico, & syncategorematico, ut *nunquam*, *aliquando*, *semper*, quod idem valet, ac *omni tempore*, & sic de aliis. Alii alia plura signa addunt, & multiplicant, quæ tamen magis pariunt confusionem, quam illuminationem. His observatis, sit ergo.

Prima regula. Quoties terminus nullò afficitur signò, & propositio est in materia contingente, ut quando prædicatum accidentaliter convenit subjecto, supponit determinatè, ut si dicas: *homo est albus*, ubi ly *homo* supponit determinatè, seu intelligitur pro omnibus hominibus seorsim, & disjunctivè sumptis, ità, ut prædicta propositio reddat hunc sensum: *vel iste, vel ille homo est albus* juxta dicta §. precedenti de suppositione determinata. Si verò propositio fuerit in materia naturali, ut quando prædicatum necessariò convenit subjecto, aut in materia remota, ut quando prædicatum repugnat subjecto, tunc terminus supponit distributivè, v. g. *homo est animal*, *homo non est lapis*.

Prima

Prima enim propositio reddit hunc sensum: *& iste homo, & iste homo est animal*, similiter secunda reddit hunc sensum: *nec iste homo, nec iste homo est lapis*: juxta dicta de *suppositione distributiva*. Ratio autem hujus regulæ est, quia propositio *indefinita*, seu cujus subjectum nullò afficitur signò in materia contingente æquivalet particulari, & in materia necessaria, aut remota æquivalet universali: & ità illæ propositiones: *homo est animal, homo non est lapis*, æquivalent istis: *omnis homo est animal, nullus homo est lapis*, & illa: *homo est albus*, æquivalet isti: *aliquis homo est albus*; unde sicut istæ, ità illæ debent supponere. Pro illarum autem suppositione cognoscenda fit.

Regula secunda. Signum universale affirmativum facit terminum proximum, seu immediate affectum tali signò, supponere distributive, & remotos terminos confuse, id est, cum subjectum afficitur signò universali affirmativò, tunc subjectum supponit distributive, prædicatum verò confuse, v. g. omnis homo est animal, ubi ly homo supponit distributive, & ly animal confuse. Hæc tamen regula intelligenda est juxta exigentiam termini remoti, seu prædicati, & ideo non tenet in suppositione copulata, quamvis applicet aliquod signum universale, v. g. omnes Apostoli sunt duodecim, ubi ly Apostoli non supponit distributive, sed copulative. Signum autem universale negativum facit tam
termi-

terminum proximum, seu subjectum, quam terminum remotum, seu predicatum supponere distributive, v. g. nullus homo est equus. reddit enim hunc sensum: nec iste, nec ille homo est iste, nec ille equus.

Regula tertia. Signum particulare affirmativum terminum proximum facit supponere determinate, & remotum relinquit intactum, sicut si nullum omnino adesset signum, seu clarius: cum subjectum afficitur signo particulari affirmativo, supponit determinate, predicatum vero relinquitur intactum, ut si dicas: aliquis homo est studens, ubi ly homo supponit determinate, & ly studens perinde se habet; ac si nullum adesset signum. Signum vero particulare negativum facit proximum terminum supponere determinate, & remotum distributive; id est, si signum fuerit particulare afficiens subjectum, & propositio negativa, ut aliquis homo non est albus, tunc subjectum supponit determinate, & predicatum distributive; & hoc ratione negationis, quæ solet omnia, quæ post se sunt, destruere; & ita prædicta propositio facit hunc sensum: vel iste, vel ille homo non est albus, nec hac, nec illa albedine, id est nulla albedine. Quando vero predicatum afficitur aliquo signo particulari, seu affirmativo, seu negativo, & subjectum nullo, ut v. g. homo est aliquod album, vel homo non est aliquis lapis, tunc suppositio subjecti regulanda est juxta traditam primam regulam,

regulam,

regulam, & predicatum supponit juxta exigentiam signi.

Regula quarta. Signum mixtum ex categorematico, & syncategorematico, si fuerit universale affirmativum, distribuit terminum categorematicum, cui immediate applicatur, alios verò terminos confundit, seu clariùs, quando terminus mixtus in se includit signum syncategorematicum universale affirmativum, facit, quòd terminus categorematicus, quem simul includit, supponat distributivè, & alii termini solùm confusè supponant, v. g. *semper homo disputat*, ubi hic terminus mixtus: *semper* componitur ex hoc syncategorematico: *omnis*, & ex hoc categorematico: *tempus*; *semper* enim æquivalet, & est idem, ac *omni tempore*, unde juxta hanc regulam iste terminus *tempus* debet supponere distributivè *pro hoc, & illo, & illo tempore*, alii verò termini: *homo disputat*, debent supponere confusè.

Quando verò terminus mixtus in se claudit signum syncategorematicum universale negativum, tunc facit, quòd non solùm terminus categorematicus, quem in se simul claudit, supponat distributivè, sed etiam, quòd omnes alii termini remoti in propositione supponant distributivè, ità, quòd omnes termini, qui sunt in propositione, distribuantur v. g. *nunquam homo disputat*, ubi hic terminus mixtus: *nunquam* componitur ex hoc syncategorematico: *nullus*, & ex hoc categorematico

rematico : *tempus*, nam *nunquam* idem est, ac *nullo tempore* : unde non solum hic terminus : *tempus* debet supponere distributivè, sed etiam reliqui termini scilicet : *homo*, & *disputans*, ità, quòd reddat hunc sensum : *nec isto, nec illo, nec illo tempore, nec hic, nec ille, nec ille homo est hic, nec ille, nec ille disputans.*

*Regula quinta. Signum mixtum ex universali, & particulari facit, quòd terminus proximus, sive cui conjungitur, supponat partim distributivè, & partim determinatè, v. g. alter oculus est dexter : reddit hunc sensum : omnium duorum oculorum iste, vel ille est dexter, ubi, ut apparet, ly alter facit oculos duos distributivè supponere, & tamen unus illorum duorum ab alio separatur, & determinatè significatur. Similiter dum dicitur : uterque Sanctus est colendus, facit hunc sensum : aliquorum duorum Sanctorum, & hic, & iste est colendus, ubi vides binarium supponere determinatè, & distribuere copulativè. Cæterùm pro hac regula observa : quòd ex istis signis, aliqua sapiant magis universalitatem, v. g. *neuter, uterque*, & ista faciunt supponere magis distributivè, quàm determinatè : aliqua sapiunt magis particularitatem, v. g. *alter*, & ista faciunt supponere magis determinatè, quàm distributivè.*

Regula sexta, & ultima. Quando actio verbi applicatur alicui termino, tunc talis terminus confunditur, seu supponit confuse,
v. g.

v. g. *bis cantavi Missam*, ubi actio verbi: *cantavi* applicata termino: *Missam* facit istam supponere confusè, ità, ut remaneat sensus confusus, an eandem Missam bis cantaverim? vel an duas Missas cantaverim? & hæc signa dicuntur *specialis confusionis*.

§. V.

Assignatæ regulæ suppositionis breviter explanantur.

OMissis aliis quàm plurimis suppositionis regulis, quas alii hic coacervatim conferere solent, quæ tamen ob sui multiplicatam, varietatem, & obscuritatem magis deprimunt, & confundunt, quàm suffulciunt, & illuminant debilem neo-Philosophorum intellectum, tria tantùm pro perfectiore assignatarum *s. præcedenti* regularum intelligentia observanda breviter proponam.

Observandum primum est. Prædictas regulas pro discernendis suppositionibus accommodatas, intelligendas esse non solum de terminis, qui in propositione ponuntur in recto, sed etiam de terminis, qui ponuntur in obliquo: & ideo in hac propositione: *omnis equus hominis currit*, *ly omnis* non solum facit supponere distributivè *equum*, qui ponitur in recto, sed etiam *hominem*, qui ponitur in obliquo, reddit enim hunc sensum: & *hic equus hujus hominis currit*, & *iste*

iste equus istius hominis currit, & ille equus illius hominis currit &c. similiter in hac propositione: *aliquis equus hominis currit*, ly *aliquis* facit supponere determinatè tam equum, quàm hominem; facit enim hunc sensum: *vel ille equus illius hominis currit, vel iste equus istius hominis currit &c.*

Observandum secundum est. Si plura signa afficiant eundem terminum, tunc oportet quærere, & attendere ad signum æquivalens illis pluribus, & quomodo istud signum æquivalens faciat supponere terminum talem. Porro signa æquivalentia aliis comprehenduntur his versibus.

Universalialia.	{ <i>Non omnis, quidam non: omnis non, quasi nullus.</i> { <i>Non nullus, quidam: sed nullus non, valet omnis.</i>
Particularia.	{ <i>Non aliquis, nullus: non quidam non, valet omnis.</i>
Mixta.	{ <i>Uterque non, neuter: neuter non, valet uterque,</i> { <i>Non alter, neuter: non alter non, est uterque.</i>

Claritatis ergo gratiâ ponamus rem in exemplo, v. g. in hac propositione: *Non omnis homo est doctus*, hîc dantur duo signa, nimirum *non*, & *omnis*, quæ afficiunt hunc terminum: *homo*, ut ergo sciam, quomodo supponat *homo*, quæro signum æquivalens

his duobus signis: *non omnis*, & invenio *quidam non*, quod est signum particulare negativum, cùm ergo secundùm tertiam regulam signum particulare negativum faciat terminum proximum supponere determinatè, & remotum distributivè, ideo video, quòd in illa propositione *homo* supponat determinatè, & *ly doctus* distributivè; ità, quòd reddat hunc sensum: *quidam homo non est doctus, nec hac, nec illà, nec istà doctrinà.*

Observandum tertium est. Si quodlibet signum ex pluribus afficiat suum terminum, in eo exercet vim suam, & impedit aliud signum; seu clariùs, quando unum signum afficit subjectum, & aliud signum afficit prædicatum, tunc signum utrumque facit illa supponere secundùm propriam exigentiam talis signi, ut cernere licet in hac propositione; *Nullus homo est aliquis lapis*, *ly nullus* facit hominem supponere juxta exigentiam hujus signi, scilicet distributivè, & *ly aliquis* facit supponere lapidem etiam juxta exigentiam hujus signi, scilicet determinatè; licet enim *ly nullus*, utpote signum universale negativum habeat vim distribuendi omnes terminos, nihilominùs in dicta propositione impeditur per subsequens signum: *aliquis*, quod facit terminum remotum, seu prædicatum, quod afficit, supponere juxta suammet naturam, id est determinatè.

CAPUT V.

*De Ampliatione, Restrictione,
Alienatione, & Diminutione.*

Quatuor has termini proprietates ad idem caput constringo, utpote quarum intelligentia non adeò diffusâ indiget expositione, ac discussione.

§. I.

*Ampliationis natura, ejusque divisio
ampliatur.*

Ampliatio definitur: quòd sit *extensio termini à minori ad majorem suppositionem, seu significationem*, ità communis Summulistarum.

Dicitur in allata communi definitione ampliationis: *extensio*, ad similitudinem extensionis quantitativæ, quâ unum corpus accipit majores dimensiones; & contingit, quando terminus sumitur non solùm secundùm suppositionem pro aliquo, quam aliàs suppositionem exercet in propositione, sed etiam extenditur, & supponit pro pluribus. Ad cujus majorem intelligentiam.

Dico cum communi Summulistarum; aliam esse *ampliationem temporum tantum*, & aliam *temporum simul, & suppositorum*: id est, terminus potest *ampliari* vel ad plu-

ra tempora tantum, vel ad plura tempora simul, & supposita, seu subjecta. *Ampliatio igitur temporum contingit, quando termini suppositio, aut significatio extenditur ad plures differentias temporum, quam verbum, seu copula in propositione exigit, quæ differentia temporis apud Logicos sunt quinque, scilicet: præsens, futurum, præteritum, possibile, & imaginarium.* Sit exemplum in hac propositione: *avarus expetit pecunias:* ubi *ly pecunie* non solum intelliguntur pro pecuniis præsentibus, sicut exigit illud verbum præsentis temporis: *expetit*, sed etiam intelliguntur de pecuniis, *quæ fuerunt, erunt, & quæ sunt possibles, aut imaginaria*, ita, ut prædicta propositio reddat hunc sensum: *avarus expetit pecunias, quæ sunt, fuerunt, erunt, vel sunt possibles, aut imaginaria.* Similiter in hac propositione: *Adamus ambulavit*, ubi copula, seu verbum: *ambulavit*, utpote temporis præsentis, exigit, ut Adamus supponat pro *Adamo*, qui fuit, potest tamen etiam supponere, & extendi ad *Adamum* illum, qui nunc est, & potuit *ambulasse*. Ex quo habetur, quod hic *ampliacionis* modus possit contingere tam in terminis communibus, quam singularibus.

Ampliatio temporum, & suppositorum contingit, quando terminus supponit, & extenditur ad plura subjecta, seu individua, & etiam ad plures differentias temporum, quam verbum, seu copula exigit. Sit exemplum:

Iusti

Justi in perpetuum vivent, ubi licet istud verbum: *vivent*, utpote futuri temporis, exigat, ut iste terminus: *justi* supponat pro justis futuris, & pro tempore futuro, nihilominus ampliatur ad tempus præsens, præteritum, & futurum, redditque hunc sensum dicta propositio: *homines justi presentes, præteriti, & futuri, vivent, vivunt, vixerunt in omni tempore.* Ex quo habetur, quod hic ampliationis modus convenire possit solis terminis communibus, utpote, qui soli habent plura supposita, subiecta, & individua, ad quæ extendi possunt.

§. II.

Restrictio, Alienatio, & Diminutio manifestantur.

R*estrictio est coarctatio termini à majori ad minorem suppositionem, seu significationem. Ità communis Summulistarum.*

Sensus hujus definitionis est, quod restrictio tunc contingat, quando aliquis terminus, qui secundum se posset pro pluribus supponere, ratione alicujus contingentis non supponit, nisi pro uno, vel aliquibus. Porro hæc restrictio contingit quatuor modis: *Primò: per copulam implicationis, v. g. homo, qui est justus, diligit DEUM, ubi ratione copulæ implicatæ: qui est justus, ly homo restringitur, ut non supponat, nisi pro justis. Secundò: per additionem substantivi inferioris,*

ut *animal homo disputat*, ubi ratione hujus superadditi substantivi: *homo*, quod est inferius ad *animal*, ly *animal* non supponit pro hoc, vel illo animali, sed restringitur, ut supponat pro homine tantum. Tertiò: per positionem adjectivi: ut *homo doctus disputat*, ubi ly *homo* non supponit pro hoc, vel illo homine, sed restringitur ratione illius adjectivi: *doctus*, ut supponat pro solis hominibus doctis. Quartò. Per additionem alicujus casus obliqui, v. g. *Doctrina D. Thomæ est præstantior aliis*, ubi ly *doctrina* non significat hanc, vel illam doctrinam, sed restringitur ratione illius casus obliqui: *Divi Thomæ*, ut significet determinatè Divi Thomæ doctrinam.

Alienatio est translatio termini à propria ad impropriam significationem, sive quando terminus non applicatur rei, quam propriè, & ex prima sua institutione significat; sed rei, quam impropriè significat, ut quando *leo*, *agnus*, non sumuntur in propria sua significatione, sed transferuntur ad significandum, v. g. *Christum*. Ubi

Observa: ad alienationem requiri, ut terminus alienans communiter sit ex parte prædicati, v. g. *homo est pictus*, si enim ponatur ut adjectivum ex parte subjecti, restringit potius, quàm alienet, v. g. *homo pictus pendet in pariete*, ubi ly *homo* ratione illius adjectivi: *pictus* non alienatur, sed restringitur ad significandum solum *hominem pictum*.

Diminu-

*Diminutio est detractio partis suppositio-
nis, sive est detractio termini à totali sua si-
gnificatione ad significationem partialem,
v. g. Æthiops est albus secundùm dentes, ubi
ly albus, qui aliàs posset supponere pro toto
homine Æthiophe, non supponit, nisi pro ali-
qua parte illius, scilicet pro dentibus, & hoc ra-
tione istarum particularum diminuentium:
secundùm dentes. Et similis propositio vo-
catur dictum secundùm quid, quia non affir-
mat simpliciter, & absolutè de Æthiophe,
quòd sit albus, sed secundùm quid, id est cum
particula diminvente.*

*Observa primò : diminutionem à restri-
ctione differre in hoc, quòd restrictio fiat per
hoc, quòd terminus significans aliàs plura in-
feriora, restringatur ad significandum pau-
ciora, & ideo debet esse terminus commu-
nis; ècontrà diminutio per hoc, quòd ter-
minus, qui aliàs potest significare, & con-
venire toti, restringatur ad significandam
aliquam solùm totius partem, ut patet in
exemplo allato: & ideo non requiritur, ut
sit terminus communis.*

*Observa secundò: ex D. Thoma part. 3.
quest. 16. art. 8. quòd, quando aliquis termi-
nus non potest convenire toti, sed ex sua
natura convenit solùm secundùm partem,
tunc prædicetur de toto non secundùm quid,
sed simpliciter, & absolutè, sic v. g. simpli-
citer, & absolutè dicitur: homo est crispus, &
non debent addi particulæ diminuentes: se-*

cundum capillos, quia crispitudo non est natura inesse nisi capillis.

Observa tertio: quod si terminus detrahatur à totali sua significatione, & suppositione, v. g. homo irrationalis, ubi ly homo, ratione illius particulæ: irrationalis removeatur à totali sua significatione, homo enim irrationalis non significat amplius hominem: tunc non vocatur diminutio, sed remotio.

CAPUT VI. De Appellatione.

EXacta *appellationis* notitia inter reliquas terminorum proprietates maxime est commendanda, & inculcanda neo-Philosophis, eò, quod ex illius ignorantia frequentes in argumentatione subrepre soleant defectus.

§. I.

Definitio, & divisio appellationis exponitur.

Appellatio definitur, quod sit applicatio significati formalis unius termini ad significatum alterius: Pro cujus intelligentia.

Observa primo: Terminus concretus habet duplex significatum, materiale scilicet, & formale. Significatum formale est ipsa forma,

forma, quam terminus *concretus* significat: significatum verò *materiale* est ipsum suppositum, seu subjectum, cui adjacet, & inhæret talis forma, sic v. g. *homo* est terminus *concretus*, ejus significatum *formale* est *humanitas*; significatum verò *materiale* est *persona*, seu *suppositum*, in quo est *humanitas*.

Observa secundò: Appellare in præsentī nihil aliud est, quàm applicare significatum *formale* unius concreti ad significatum *materiale*, vel *formale* alterius. Ex quibus terminus, qui applicatur, vocatur *appellans*; ille verò, cui applicatur, vocatur *appellatus*; ex his habetur jam sufficiens, & clarus sensus dictæ definitionis.

Appellatio dividitur in *materialem*, & *formalem*. *Materialis* est applicatio *formalis* significati unius termini supra significatum *materiale* alterius: seu, *appellatio materialis* fit, quando prædicatum secundum formam, quam significat, appellat, sive applicatur supra significatum *materiale* ipsius subjecti, v. g. *Petrus Logicus est magnus*, ubi *magnitudo*, quæ est *significatum formale* prædicati non appellat supra Petrum ratione *Logicæ*, quæ est *significatum formale* illius subjecti complexi: *Petrus Logicus*; sed appellat supra Petrum ratione *personæ*, seu *corporis*, quod est *significatum materiale* illius subjecti: *Petrus Logicus*, ità, ut sit sensus prædictæ propositionis: *Petrus, qui est Logicus, est magna personæ, seu habet magnam personam.*
Appella-

Appellatio formalis est applicatio significati formalis unius termini supra significatum formale alterius, id est, appellatio formalis fit, quando prædicatum secundum formam, quam significat, appellat supra subjectum secundum formam, quam istud significat, sic v. g. Petrus est Logicus magnus, ubi magnitudo, quæ est forma hujus prædicati: magnus appellat supra subjectum, quod est Petrus, non secundum quod persona est, quæ est significatum materiale hujus subjecti, sed secundum quod Logicus est, seu ratione Logica, quæ est forma, & significatum formale ipsius: ita, ut prædicta propositio faciat hunc quasi sensum: Logica Petri est magna.

§. II.

Regule pro cognoscenda appellatione adaptantur.

R*egula prima. Si subjectum sit terminus concretus, prædicatum vero connotativus, fit appellatio supra materiale subjecti. Pro quibus vide D. Thom. 3. part. quest. 16. art. 7. & 9. sic quia in hac propositione: homo est albus, prædicatum: albus est terminus connotativus, & subjectum: homo est terminus concretus, ideo significatum formale illius prædicati, nimirum albedo appellat supra significatum materiale istius subjecti: homo, id est, supra suppositum humanitatis, & non supra ipsam-*

ipsammet formam, scilicet *humanitatem*, aliàs enim sensus esset: *humanitas est alba*, quod est falsum; nam persona sola habens *humanitatem* est alba, non ipsa *humanitas*; similiter in hac propositione: *Christus est æternus*, significatum formale: *æterni* appellat supra *suppositum divinum Christi*, quod est æternum, & significatum materiale istius subjecti: *Christus*.

Regula secunda: Quando ex parte subjecti ponuntur duo termini, quorum unus sit absolutus, & alter connotativus; ex parte autem prædicati ponitur solus terminus connotativus, tunc istud prædicatum appellat supra terminum absolutum positum ex parte subjecti, ut in hac propositione: *Petrus Logicus est magnus*, in qua *magnitudo*, quæ est significatum formale hujus prædicati: *magnus*, quod est terminus connotativus, non appellat supra terminum connotativum positum ex parte subjecti, scilicet supra *rationem Logicæ*, sed supra *Petrum*, qui est terminus absolutus, est enim idem, ac dicere: *Petrus, qui aliàs est Logicus, est magnus*. Si verò ex parte subjecti unus tantum terminus absolutus sit, & ex parte prædicati duo connotativi, tunc unus connotativus appellat supra alium connotativum, ita, quod ille connotativus, qui secundum rectum ordinem propositionis est ultimus, appellet supra priorem connotativum, ut in hac propositione: *Petrus est Logicus magnus*, in qua ly
magnus

magnus non appellat supra *Petrum*, sed supra alium connotativum, id est, supra *Logicum*, qui *Petrus* est, & reddit sensum: *Petrus habet magnitudinem Logica*, sive est in *Logica magnus*.

*Regula tertia. Actio significativa per verbum appellat supra formale, non verò supra materiale termini, cui adjungitur: hoc est, verba, quæ significant actum, sive internum, id est: actum, qui recipitur in ipsa potentia, à qua elicitur; sive externum, id est: actum, qui recipitur in materia externa, appellant, seu applicant suam actionem supra formale significatum termini, cui junguntur: sic in hac propositione: vidi Papam, in qua actus internus visionis non appellat supra illum, qui aliàs erat, vel erit Papa, sed supra illam rationem formalem *Papa*, cum *Papa* erat, ità, ut sensus illius propositionis sit: vidi Papam, cum Papa erat, & ideo non est bona argumentatio: vidi Cardinalem Montineti: sed Cardinalis Montineti est Papa: ergo vidi Papam. Similiter in hac propositione: facio calceum, in qua actus externus confectionis non appellat supra materiam, ex qua fit calceus, id est, supra corium, sed supra ipsam formam calcei, ità, ut sensus sit: facio formam calcei, & ideo non est bona consequentia: calceus est corium; sed facio calceum: ergo facio corium; similiter non valet: cognosco venientem; sed veniens est Petrus: ergo cognosco Petrum; quia sunt*

sunt diversæ formalitates, & in his argum-
tationibus variatur appellatio, & transit de
materiali ad formale, quod vitiat bonam ar-
gumentationem.

*Regula quarta. Termini numerales, ut
duo, tria &c. applicati terminis absolutis ap-
pellant tam supra significatum materiale,
quàm supra formale, & utrumque significa-
tum multiplicant: id est multiplicant, & nu-
merant tam supposita, quàm etiam ipsas for-
mas, ut si dicas: video tres homines: iste ter-
minus numeralis: tres, non solum appellat, &
multiplicat supposita, sed etiam humanita-
tes, ita, ut sit sensus: video tria supposita ha-
bentia tres humanitates; sive: video tres per-
sonas, quarum qualibet habet suam propriam,
& distinctam humanitatem.*

*Si verò termini numerales applicentur
terminis connotativis, tunc solum appellant
supra significatum materiale, illudque solum
multiplicant, ita, quòd solum subjectum, seu
suppositum termini connotativi numerent,
& multiplicent, non autem ipsas formas, ut
si dicas: video tria alba, ly tria ex se non
multiplicat albedines, sed solum subjecta al-
bedinis: ita, quòd sit sensus: video tria sub-
jecta habentia albedinem, sive hæc sit una,
sive tres, imò etiamsi in utroque albo esset
una, & eadem numerò albedo, adhuc pro-
positio esset vera, quòd enim defactò tria
subjecta habeant distinctas, & tres albedines,
hæc multiplicatio albedinis non provenit ex
termino*

termino numerali: *tria*, sed aliunde, quia scilicet idem numerò accidens non potest saltèm simul esse in distinctis formaliter subiectis, ut loquuntur Metaphysici. Ex hac regula

Inferes: hanc propositionem esse falsam, & hæreticam: *in Divinis sunt tres Dii*; cum enim ly *DEUS* sit terminus absolutus, & nomen substantivum, ideo ex vi appellationis numeri: *tres*, non solum multiplicatur ejus *significatum materiale*, seu *suppositum*, sed etiam *formale*, seu *Deitas*, & ità esset sensus: *in Divinis sunt tria supposita habentia tres Deitates*, quod est hæreticum. Econtra istæ propositiones sunt veræ, & Catholicæ: *in Divinis sunt tres Divini, tres Omnipotentes, tres Immensi &c.* quia cum hi termini sint connotativi, & nomina adjectiva, ideo numerus: *tres*, appellat, & multiplicat solum significatum illorum *materiale*, scil: *suppositum*, aut *personam*, adeoque faciunt hunc sensum: *in Divinis sunt tria supposita, aut tres Personæ habentes Deitatem, Omnipotentiam, Immensitatem &c.* quod est Catholicum.

§. III.

Diluuntur argumenta adversus regulas appellationis.

Objicies primò contra primam regulam: in hac propositione: *Christus est positus*
in

in prædicamento substantia, subjectum, nempe: *Christus*, est terminus *concretus*, & prædicatum, scilicet: *positus*, est terminus *connotativus*; sed in hac propositione prædicatum non appellat supra materiale subjecti scilicet supra suppositum Christi: ergo jam prima regula appellationis fallit. *Prob. Min.* Suppositum Christi, utpote Divinum, non est positum in prædicamento substantiæ: ergo in dicta propositione prædicatum: *positus* non appellat supra *materiale* subjecti. *Ant.* constat, quia juxta communem Philosophorum sententiam, *DEUS* non collocatur in prædicamento substantiæ.

Rz. Dist. Maj. In illa propositione prædicatum est terminus *connotativus*, & sumitur in vi termini *connotativi*, *Neg. Maj.* & sumitur in vi verbi importantis actionem, *Conc. Maj. Min. & Neg. Conseq.* dicendo: quòd in hac propositione: *Christus est positus in prædicamento substantia*, prædicatum *positus* sumatur in vi verbi: *pono*, à quo derivatur, quòdve verbum importat actionem: jam autem juxta regulam tertiam appellationis, actio significata per verbum appellat supra *formale* significatum termini, cui adjungitur, & ità in prædicta propositione fit appellatio supra significatum *formale* Christi, quod est *natura humana*, ità, ut sit sensus: *Christus ponitur in prædicamento substantia ratione natura humana.*

Dices:

Dices: in hac propositione: *Christus ponitur in predicamento substantia*, non fit appellatio supra significatum *formale* Christi: ergo deberet fieri appellatio supra *materiale*, scilicet supra *suppositum* Christi, quod rursus dici nequit. *Prob. Ant.* Significatum *formale* Christi est etiam *Natura Divina*; sed in prædicta propositione non fit appellatio supra *Naturam Divinam*: ergo non fit appellatio supra significatum *formale* Christi. *Min.* constat, quia aliàs Christus poneretur in prædicamento substantiæ ratione *Naturæ Divinæ*, quod est contra communem Philosophorum.

R. Neg. Ant. Ad *Prob. Dist. Maj.* Significatum *formale* Christi est etiam exercitè *Natura Divina*, *Neg. Maj.* est præcisè significativè, *Conc. Maj. Min. & Neg. Conseq.* Quamvis enim Christus significet etiam, aut importet de *formali* *Naturam Divinam*, id tamen non exercet in prædicta propositione, quia ut vulgò dicitur, *talia sunt subjecta, qualia permittuntur à suis predicatis*. Ponitur autem in prædicamento substantiæ non convenit Christo secundum *Naturam Divinam*, sed secundum *naturam humanam*, & ideo in dicta propositione hoc prædicatum: *ponitur in predicamento substantia*, exigit, ut fiat appellatio supra *naturam humanam* Christi tantum.

Objicies secundo contra eandem regulam: in hac propositione: *Petrus est crispus*, subje-

subjectum est terminus *concretus*, & prædicatum est terminus *connotativus*; sed in hac propositione prædicatum non appellat supra significatum *materiale* Petri, nimirum supra suppositum: ergo regula prima appellationis non subsistit universaliter; *Min.* constat, siquidem crispitudo appellat tantum supra capillos, & non supra totum suppositum Petri.

R. Dist. Maj. In dicta propositione prædicatum est terminus *connotativus* indifferenter conveniens toti, vel parti, *Neg. Maj.* determinatè conveniens soli parti, *Conc. Maj. Min. & Neg. Conseq.* Pro quo bene

Observa: ex S. Thoma 3. p. *quest. 16. art. 8.* (ut jam supra *cap. 5. §. 2. obser. 2. insinuavimus*) quòd, quando certum est, significatum *formale* prædicati convenire non toti, nec supposito ejus, sed soli parti, tunc etiam, juxta communem loquendi modum, prædicatum non appellet supra suppositum, & ideo illa propositio: *Petrus est crispus*, absolutè concedenda est, licèt crispitudo non appellet supra totum suppositum Petri, sed supra capillos tantum. Et hinc oritur, ut ibidem notat S. Thomas, quòd hæ, & similes propositiones: *Christus est passus, mortuus &c.* absolutè concedendæ sint, quia earum prædicata indubitatè conveniunt Christo tantum ratione naturæ humanæ, & non appellant supra suppositum Christi; aliæ verò propositiones, de quarum prædicatis dubitari potest, an conveniant Christo ratione

naturæ humanæ, vel Divinæ, sunt distinguendæ juxta exigentiam prædicati, & hujusmodi propositiones sunt, e. g. *Christus est creatura: Christus est incorporeus &c.* cum quibus adhuc subsistit regula prima appellationis, utpote intelligenda, si terminus *connotativus* potest convenire significato *materiali*, vel *formali*: id est, supposito, & formæ, toti, & parti.

Objicies tertio contra eandem regulam: In hac propositione: *album est disgregativum visus*, significatum *formale disgregativi*, sive disgregatio appellat supra *formale albi*, id est supra albedinem: sed *ly. disgregativum* est prædicatum, & terminus *connotativus*, & *ly. album* est subjectum, & terminus *concretus*: ergo quando prædicatum est terminus *connotativus*, & subjectum est terminus *concretus*, significatum *formale* prædicati appellat supra significatum *formale* subjecti, consequenter regula prima appellationis non est bona, & universalis.

Dist. Maj. In hac propositione: *album est disgregativum visus*, significatum *formale disgregativi* appellat formaliter, & immediate supra albedinem, *Neg. Maj.* appellat materialiter, & mediate, *Conc. Maj. Min.* & *Neg. Conseq.* Sic ergo *ly. disgregativum visus*, quod est prædicatum, & terminus *connotativus* in dicta propositione appellat immediate, & formaliter supra id, quod habet albedinem, id est supra *corpus*, quod est signifi-

significatum materiale illius termini concreti: *album*, ità, ut propositio illa reddat hunc sensum: *corpus, quod habet albedinem, est disgregativum visus*: consequenter *ly disgregativum visus* appellat supra ipsam albedinem solum materialiter, & mediatè, mediante nimirum corpore habente albedinem, & disgregante visum.

Dices: *Disgregativum visus* appellat formaliter supra id, quod formaliter disgregat visum: sed albedo formaliter disgregat visum; ergo appellat formaliter supra albedinem.

R. Dist. Maj. *Disgregativum visus* appellat formaliter supra id, quod formaliter ut quod disgregat visum, *Conc. Maj.* quod formaliter ut quo disgregat visum, *Neg. Maj.* & *Dist. Min.* Sed albedo formaliter ut quo disgregat visum, *Conc. Min.* sed albedo formaliter ut quod disgregat visum, *Neg. Min.* & *Conseq.* Cum albedo sit ratio, per quam corpus redditur album, & capax disgregandi visum, est verum, quod sit disgregativum formaliter ut quo, at hoc non tollit, quin ipsum corpus sit disgregativum visus ut quod; illud enim, quod disgregat visum ut quod, est illud, quod habet albedinem: & ità manet adhuc, quod in suprascripta propositione *disgregativum visus* appellet formaliter supra materiale subjecti, scilicet supra corpus.

Instabis: *Disgregativum visus* appellat formaliter supra id, de cuius ratione forma-

li est disgregare visum; sed disgregare visum est de ratione formali illius, quod disgregat visum formaliter *ut quo*, scilicet albedinis: ergo *disgregativum visus* appellat formaliter supra id, quod disgregat visum formaliter *ut quo*, id est supra albedinem.

R. *Dist. Maj. Disgregativum visus*, quantum est ex se, & ratione sui, appellat formaliter supra id, de cujus ratione formali est disgregare visum, *Conc. Maj.* quantum est ex vi, seu modò propositionis, & terminorum, *Neg. Maj. & confessâ Min. Neg. Conseq.* Verùm est, quòd *disgregativum visus*, quantum est ex se, appellaret supra albedinem, utpote de cujus solius ratione formali est disgregare visum: cæterùm ex vi suprâ dictæ propositionis, & terminorum *concreti, & connotativi* appellat supra corpus, quod afficitur albedine, quòdve est disgregativum visus, an autem corpus habeat ex ratione sua esse disgregativum visus, vel an aliunde habeat, non officit veritati illius propositionis; quia propositio non curat, unde id proveniat?

Objicies quartò contra secundam regulam appellationis: In hac propositione: *Petrus est Logicus niger*, ponuntur à parte prædicati duo termini *connotativi*, & unus *absolutus* à parte subjecti; sed in hac propositione unus terminus *connotativus*, sive *formale significatum*: *nigri*, non appellat supra alium terminum *connotativum*, id est, supra *Logicum*,

Logicum, sed supra ipsummet *Petrum*: ergo non subsistit regula secunda dicens, quòd, quando ex parte subjecti ponitur unus tantum terminus *absolutus*, & ex parte prædicati duo termini *connotativi*, quòd tunc unus connotativus appellet supra alium connotativum.

R. *Dist. Maj.* In illa propositione ponuntur à parte prædicati duo termini *connotativi*, merè disparatè se habentes, *Conc. Maj.* ponuntur duo termini *connotativi*, habentes inter se aliquem ordinem, *Neg. Maj.* & *concessâ Min. Neg. Conseq.* Quia dicta regula intelligenda venit de terminis *connotativis*, non merè disparatè se habentibus ad invicem, sed ut unus dicat ordinem ad alium permodum determinabilis, & determinantis, quò pactò non se habet *Logicus*, & *niger*, nigredo enim non potest Petro convenire ratione *Logicæ*, sed ratione dispositionum inducentium nigredinem, & ità nigredo est merè quid disparatum ad *Logicam*, adeoque nil mirum, quòd non appellet supra *Logicam*, sed supra ipsum *Petrum*, ità, ut sensus illius propositionis sit, *Petrus niger est Logicus*.

Objicies quinto contra tertiam regulam *appellationis*. *Ista argumentatio bene concludit: venientem cognosco; sed veniens est Petrus: ergo Petrum cognosco: ergo jam actio significata per verbum: cognosco, non appellat supra significatum formale venientis, sed su-*

pra materiale, id est, supra *Petrum*, consequenter regula tertia appellationis non subsistit.

R. *Conc. Ant. & Dist. Conseq.* ergo actio significata per verbum *cognosco* non appellat supra *significatum formale: venientis*, quando iste terminus exprimit suam rationem *formalem*, *Neg. Conseq.* quando iste terminus *veniens* non exprimit suam rationem *formalem*, *Conc. Conseq.* Pro quo bene observandum: aliud esse dicere: *cognosco venientem*, & aliud dicere: *venientem cognosco*; quando enim terminus, qui est objectum actionis significatæ per verbum, postponitur ipsi verbo, tunc exprimit suam rationem *formalem*, supra quam proinde appellat actio verbi, ut dum dico: *cognosco venientem*, facit enim hunc sensum: *cognosco aliquem, qui est veniens sub conceptu, seu ratione venientis, non verò sub ratione persona, quæ est veniens*: quando verò terminus, qui est objectum actionis significatæ per verbum, anteponitur ipsi verbo, tunc non exprimit suam rationem *formalem*, & ita tunc non fit *appellatio* supra istam, sed potius fit *ampliatio*, ita, quòd dicere: *venientem cognosco*, fit idem, ac dicere: *illum, qui est veniens, jam cognosco*. Ob hanc etiam rationem aliud est dicere: *Papam vidi*, & aliud: *vidi Papam*, hæc enim secunda propositio facit hunc sensum: *vidi Papam, dum erat Papa*; prima verò propositio hoc non requirit,

quirit, sed sufficit vidisse hominem, qui aliàs erat, vel erit *Papa*, & ità in hac propositione non fit *appellatio* supra rationem *formalem Papa*, cum *Papa* erat (sicut fit in secunda propositione, utpote in qua terminus *Papa* exprimit suam rationem *formalem*) sed potius fit *ampliatio*.

Objicies sextò contra quartam regulam Appellationis. Sanctus Athanasius in suo symbolo dicit: *Non tres Omnipotentes, non tres Æterni &c.* ergo terminus *numeralis: tres*, in hac propositione non appellat supra significatum *materiale* illius termini *connotativi Omnipotentis, Æterni &c.* id est, supra suppositum. *Conseq.* constat, quia aliàs prædictæ propositiones sancti Athanasii essent falsæ, quia redderent hunc sensum: *non sunt tria supposita habentia Omnipotentiam, Æternitatem &c.* quod utique est falsum.

R. Dist. Ant. In Divinis non sunt tres Omnipotentes, sumendo *ly Omnipotentes* substantivè, *Conc. Ant.* sumendo adjectivè, *Neg. Ant. & Conseq.* Si isti termini *Omnipotens, Æternus*, sumantur substantivè, tunc dictæ negativæ propositiones sunt veræ, quò pactò sumuntur à sancto Athanasio; si verò sumantur adjectivè, sunt falsæ, ut constat ex explicatione quartæ regulæ, ex hac enim constabit, qualem sensum referant illæ propositiones,